

J. Hewitt Key

M. TULLII CICERONIS

SEX ORATIONUM

FRAGMENTA INEDITA

CUM COMMENTARIIS ANTIQUIS

ITEM INEDITIS

INVENIT RECENSUIT NOTIS ILLUSTRAVIT

ANGELUS MAIUS

BIBLIOTHECÆ AMBROSIANÆ A LINGUIS ORIENTALIBUS.

IMPRESSUM MEDIOLANI

1814;

DENUO IMPRESSUM LONDINI

1816,

IMPENSIS J. MAWMAN.

FIRST TITLE

Excudebat J. F. DOVE.

M. TULLII CICERONIS

TRIUM ORATIONUM

PRO SCAURO PRO TULLIO PRO FLACCO

PARTES INEDITÆ

CUM ANTIQUO SCHOLIASTE ITEM INEDITO
AD ORATIONEM PRO SCAURO

INVENIT RECENSUIT NOTIS ILLUSTRAVIT

ANGELUS MAIUS

BIBLIOTHECÆ AMBROSSIANÆ A LINGUIS ORIENTALIBUS.

IACOBO COMITI MELLERIO

LONGOBARDICÆ DITIONIS

CÆSAREO QUINDECEMVIRO GUBERNATORI

SUMMO AERARII PRÆFECTO

ALMÆ URBIS MEDIOLANENSIS

LEGATO AD CÆSAREM

CIVI OPTIMO.

PRÆCLARA tua dignitas fecit, meumque singulare erga te studium, ut quæ mihi nuper, multo quidem pretiosissimæ sed diu perditæ Ciceronis reliquiæ in Ambrosianis Codicibus deprehensæ sunt, eas ego non alii quam tuo nomini inscriptas edere vellem. Etsi autem nativus quidam animi pudor, et dudum sponte susceptum propositum vehementer te, quominus hoc a me litterarium munus exciperes, deterrebant, victus tamen tum meis precibus es, tum rei etiam, ut puto, insigni nobilitate atque præstantia. Et re quidem vera (fidenter dicam) quodnam hoc tuum fuisset, Vir summe, iudicium, quæ sententia, quæ

mens? si dum bonas litteras cunctasque artes liberales tanto amore prosequeris, Principem ipsum pæne omnium studiorum sub tua auspicia venientem repulisses. Hoc præsertim tempore, quo propter gravissimas tractationes tibi a Patria commissas, dux tibi quidam et auctor opus est, consiliorumque et operum moderator: qui si ex omnibus unus optandus sit, quem cum Tullio conferre possis, non habebis. Hic enim vir ex omnibus romanis ingeniis sapientiæ maxime prudentiæque ornamentis abundavit. Hic est qui togatus consul divina animi vi, profundoque mentis consilio et leges optimas tulit, et tranquillitatem publicam fovit, et impiorum audaciam infregit, eamque dominationem, cujus fines tot fortissimi imperatores terræ et cæli regionibus terminaverant, ipse unus prope inermis a nefario coniuratorum conatu tutatus est. Iam Tullianæ mentis imago in eius præsertim orationibus extat, in quibus ille adeo suorum consiliorum genus explicat, adeo optimæ gubernationis formam constituit, ut qui præstantissimus reipublicæ præses fieri volet, is rem abunde confecerit, si suas agendi cogitandique rationes ad Tullianum exemplar conformaverit. Cuinam igitur opportunius, quam tibi, nondum vulgatas Ciceronis Orationes dicarem? Quippe in maximo bello, quo Europa universa nuper convulsa est, quum hæc etiam nobilis-

sima Patria intestinis repente motibus concuteretur; tu, Vir amplissime, in eorum Optimatum numerum lectus es, qui more scilicet veterum consulum *videretis ne quid respublica detrimenti caperet.* Quo sane tempore quam tu ex animo patriam amares, cuncti perspexerunt. Nam si quisquam fuit unquam remotus tum natura tum etiam voluntate a publicis negotiis, ab honorum decoramentis, atque a strepitu et sermonibus vulgi, is profecto tu es. Testis est præterita vita, in qua semper ea studia secutus, ex quibus communis utilitas nasci posset, ipsos tamen magistratus, et publica munera per se nunquam putaveris expetenda. Cum vero te Patria concordi claroque voto, ut se protegeres, invocavit, huius tu neque auctoritatem negligere, neque iudicium non sequi, neque iussa detrectare ausus es. Igitur ad clavum reipublicæ cum Sociis sapientissimis sedens, in id totus incubuisti, ut animorum æstus lenitate compesceres, populum acerbissimis tributis liberares, infinitam peccandi licentiam coerceres, calamitosorum iniurias vindicares, nulla in re ab religione officii deflecteres. Ecce autem cum Patria de communi consilio legatos ad CÆSAREM DOMINUM et REGEM NOSTRUM destinaret, tua rursus opera in splendidissimo munere expetita est. A qua utinam legatione tum re feliciter gesta, tum celeriter etiam redeas! Nam discedens quidem incredibili nos

affecisti desiderio tui. Interea hoc a me, Vir amplissime, et optime, cape munusculum: ex quo, quanti te faciam, probe cognosces, quandoquidem id tibi exhibeo, quo melius in præsenti nihil habeo. Vale.

DE CICERONIS FRAGMENTORUM
NUPERA INVENTIONE
DISSERTATIO.

Latinæ eloquentiæ principem Ciceronem vel eo maxime nomine mirari soleo, quod quum in occupatissimo ambitionis cursu atque in cunctis pæne reipublicæ muneribus ab ineunte ætate versatus sit, tantum nihilominus otii tot scribendis operibus suppeditare potuerit. Quid enim est in omni varietate bonarum artium atque litterarum, quod ille cælesti fretus ingenii vi, mirabilique elocutionis ornatu, cum sua laude immortali non attigerit? Philosophiam, quum ea nullis prope scriptis illustrata apud latinos iaceret, primus Cicero erexit, et plurimis editis voluminibus felicissime excoluit: in quo videlicet picto et expolito scribendi genere cum doctrinæ præstantiam ac sanitatem, tum omnes verborum, omnes sententiarum inligavit lepores. Iam et politicam rem et historicam et poeticam sapienter elegan-

terque tractavit. Sed ante omnia, quodque caput in eo fuit, artem oratoriam non modo scriptis de ea præceptis nobilissime docuit, verum etiam dictis orationibus ita expressit, ut vivens fulgere et tonare et omnino regnare in iudiciis visus sit; apud posteros autem Cicero non iam viri romani, sed ipsius eloquentiæ nomen videatur.

Ex tot orationibus tamen, quibus vir disertissimus romanum forum personuit, multas invida ætas aut corrupit aut mutilavit, multas funditus sustulit, plurium denique, ut credibile est, memoriam ipsam abolevit. Nam fuit quoddam tempus tenebricosum et barbarum, quo Longobardis Italiam tenentibus, romanoque imperio per socordiam principum et fortunæ inconstantiam deleto, omnis bonarum artium lux, omnis litterarum gloria extincta est. Tunc etiam in illa pretiosa volumina, quæ tot eruditorum hominum manus elaboraverant, ubi tot ingeniorum divitiæ latebant, miserrima cæde sævitum est. Rapidis urebantur flammis litteratorum longæ vigilæ, sit utenebrisque marcebant clarissima artium lumina, ad tabernas denique et deterrimos usus doctissimæ membranæ veniebant. O conditiones miseras regnorum atque nationum! Illi scilicet Itali, quibus summam copiam ingenii, facultatemque dicendi natura largita est, qui Plautos, Tullios, Virgilios, Flaccos, Livios paucis ante sæculis ex

sese genuerant, qui omnem græcarum litterarum atque artium laudem una cum rerum imperio ad se transtulerant; nunc demum tantis barbariæ fluctibus obruti sunt, ut apud ipsas exteras gentes inscitiæ invidia infamiaque flagrarent. Igitur apud nos squaluere gymnasia, forum luxit, subsellia atque iudicia siluerunt: infinita demum librorum supellex, fractis plane ac deiectis Italorum ingeniis, ad occiduas et boreales nationes avecta est.

Verum inter tot genera cladium, quibus Veterum scripta perierunt, haud scio an illa præcipua dicenda sit, quod quum ad summam bonarum artium ignorantiam, extrema etiam fortunarum penuria accessisset, membranarum vetus scriptura aut scalpro rasa aut ablutione depulsa est, quo nimirum novæ scriptioni locus in eodem volumine pararetur. Quæ res cum sit veritate certissima, ne fide tamen pæne incredibilis videatur, reputandum est idem quodammodo et nummis et picturis et statuis et universæ architectorum arti accidisse. Nam et recusos nummos, et tabulas interpolatas, et signa refecta, et ædificia alienis usibus accommodata quis demum ignorat? Sed ut in scriptura sistamus, apud Græcos, quos serius barbaries corripuit, sæculis, demum infra duodecimum a Christo nato ea pestis in libros grassata est.[c] Verum apud latinos iam inde a septimo

---

[c] Montfaucon Palæogr. Græc. p. 319.

saeculo rescriptos Codices haud raro reperies. Itaque præstantissimi aureæ ætatis scriptores ineptissimis rudis ævi commentis sæpe decesserunt. Quos in Codices siquando incidas, vel ipsi ingentes et pulcherrimi antiquæ scripturæ ductus, qui sub nova barbarica sparsim se produnt, quantum inter utrumque opus intersit, tibi facile ostendent. Sed enim et illud fatendum est, plerosque rescriptos codices christiana argumenta, immo ipsos divinos Libros excepisse, quorum materiam etsi ob religionis amorem exosculamur, eam tamen vacuas mumbranas multo mallemus occupasse. Quam ob rem plane non video, cur religio apud æquos homines, invidiam contrahat. Tot mirandas Veterum lucubrationes obruere, fuit, confiteor, magnum crimen, ingens pernicies, facinus impudens, iniuria non ferenda. Verum enimvero quum nullo unquam christianæ legis mandato, sed temporum potius inscitia et miseria id effectum sit, siquis nihilominus religioni id vitio vertit, aut plane is desipit aut intestina aliqua acerbitate laborat.

Sed ne nimium multa generatim complectamur, atque ut ad illud quod propositum est, deflectat oratio; scrntanti mihi Ambrosianæ Bibliothecæ forulos antiquissimum Codicem occurrisse aio, quem quum diligentius tantæ vetustatis aspectu perculsus considerarem, sensi protinus esse unum ex iis qui, ut

dixi, rescripti vocantur. Atque hîc originem tanti Codicis altius repetere, non ingratum fore lectoribus arbitror. Inter Apenninos montes in Liguria ad locum qui Bobium etiam antiquitus nuncupatus fertur, divus Columbanus anno post Christum natum DCXII. Benedictinorum claustrum fundavit.[g] Ea porro Familia non morum tantummodo sanctimonia, verum etiam litterarum scientiarumque studio, quantum tempora patiebantur, insignis evasit.[h] Ei coenobio studiisque monasticis præfuit sæculo post Christum X. Gerbertus Gallus, qui deinde romanam Sedem cum Silvestri II. nomine tenuit: vir temporibus suis plane superior, mathematicæ rhetoricæ musicæ medicinæ omniumque pæne disciplinarum prudentissimus.[i] Quum igitur illud Monasterium in mediis Italorum tenebris, aliqua litterarum luce collustraretur, librorum supellectile carere non potuit. Bobiensis Bibliothecæ Catalogum sæculo forte X. scriptum Luduvicus Muratorius publici iuris fecit:[k] in quo bene longo Indice non rei sacræ solum scriptores, verum etiam Grammaticos, Historicos, Oratores, Poetas, et reliquæ profanæ litteraturæ auctores non paucos depre-

---

[g] Mabillon Annal. Bened. T. I. p. 296. Ughelli Ital. Sacr. T. IV. p. 926.

[h] Tiraboschi Storia della Lett. Ital. T. III. p. 104.

[i] Idem eodem Tomo p. 204.

[k] Antiquit. Ital. Med. Æv. T. III. Dissert. 43. p. 818.

hendas. Iam vero ineunte sæculo XVII. cum FEDERICUS CARDINALIS BORROMÆUS, cuius immortale nomen nulla unquam oblivio delebit, Ambrosianam Bibliothecam infinito sumptu fundaret, eamque conquisitis undique libris locupletaret, ad Bobienses in primis Codices animum intendit, missisque largis muneribus ita feliciter rem transegit, ut quidquid bonæ frugis in eo pervetere Lyceo latebat, ad suos ambrosianos pluteos sevocarit.

In his igitur ego Codicibus, qui Bobienses inscribuntur, unum deprehendi, in quo Sedulii christiani poetæ opera edita continentur, quem cum acutissima oculorum acie lustrarem, et sub posteriore scriptura priorem rimarer; o Deus immortalis, repente clamorem sustuli, quid demum video! En Ciceronem, en lumen romanæ facundiæ indignissimis tenebris circumseptum! Agnosco deperditas Tullii orationes, sentio ejus eloquentiam ex his latebris divina quadam vi fluere, abundantem sonantibus verbis uberibusque sententiis. Tituli quoque operum in margine codicis sese paulatim aperuerunt. Atque hîc ego quantis laetitiis incessi, cum partes ingentes ineditas trium Ciceronis orationum deprehendi, *pro Scauro* nimirum, *pro Tullio*, et *pro Flacco?* Grandibus et pulcherrimis litteris ea constat scriptura, et in tres unaquæque pagella columnas

distinguitur. Tum Oratio *pro Scauro* elegantissimis scholiis stipatur, quorum alia litteris quadratis vetustissimis etsi minutioribus exarata sunt, alia rudioribus quidem, sed eadem tamen antiqua, atque ab eodem, ut plane videtur, auctore profecta. Scriptorem horum scholiorum Asconium Pædianum fuisse suspicor. Nam et stylus, et naturalis quidam color, et totum genus scribendi id indicare videntur. Porro qui iampridem extat Asconii Commentarius in Orationem *pro Scauro*, non plane integer esse potest, quum ipsa Oratio pæne tota ante nostram editionem desideraretur.

Et Codex quidem in præsenti est formæ quæ dicitur in 8°. quia monachus Sedulii scriptor folia complicuit: quibus iterum explicitis, ad antiquam formam in 4°. liber redit. Iam ex his foliis ita restitutis sex habent partem Orationis *pro Scauro* cum scholiis, tria et dimidium *pro Tullio*, unum *pro Flacco*. Unum etiam particulam exhibet Orationis Tullianæ *pro Cœlio*, quæ quum tota sit edita, nihil nobis reliquum fuit, nisi ut varias aliquot lectiones ex tam antiqua membrana proferremus. Iam quo definite sæculo prima Ciceronis scriptura in Codice fuerit exarata, quis indubia coniectura pronunciet? Ipsa recentior Sedulii scriptura miram sapit antiquitatem: et tamen inter se quantum hæ differunt! Nos utriusque specimen coniunctim exhibebimus, ex quo siquis iudicet

Ciceronis Scripturam ad II. aut III., Sedulii ad VIII. christiani ævi sæculum pertinere, is, non uno antiquario iudice, a veritate haud multum aberrabit. Certe hic Sedulii Codex ante sæculum X. in Bobiensibus pluteis extitisse videtur. Namque in illo Catalogo, quem superius diximus a Muratorio editum, quatuor Sedulii libros videre est. Atqui hic, de quo loquimur, rescriptus Codex quatuor scilicet etsi mutilos continet Sedulii libros. Ergo hunc Codicem iam inde a vetustissima ætate Bobienses monachi possederunt: quin et iidem, ut credibile est, iam antiquas Ciceronis membranas rescripserunt, summumque Oratorem cum poeta non bono commutarunt. Verum temporibus barbaris irasci quid interest? Nostræ potius gratulemur ætati, cui Deus optimus maximus hanc laudem contulit, ut hi præstantissimi humanæ mentis fœtus ab oblivionis latebris nunc demum emergerent.

Equidem ad commendanda hæc quæ proferimus Opera, unum Ciceronis nomen satis esse videtur, cuius admiratio adeo mentes omnium accupavit, ut quidquid ab eo fluxit, id sine dubio optimum iudicetur. Sed enim hæc scripta qui legat, nemo ipsa per se non miretur. In Oratione *Scauriana* quam graviter Cicero, quam acerbe, quam diserte, quam invicte persequitur Sardos? Iam Arinis facinus in uxorem, pellicisque flagitia quantâ invidia atque

infamia perfundit! Scaurianam causam concursu totius civitatis romanæ defensam narrat Auctor Dialogi *de Caussis corruptæ eloquentiæ*.[a] Oratio *pro Tullio* cum perutilem habet doctrinam iuris romani, tum oratoriæ atque evidentissimæ narrationis exemplar est. Denique quum edita Oratio *pro Flacco* inter præstantes merito habeatur, non parum decoris nos eidem adiungimus, qui eius hiatum incommodissimum tollimus.

Atque ego quidem in his exscribendis Frag mentis gravem prorsus laborem exantlavi, dum evanidas litteras et posteriore scriptura obrutas fessis oculis consectarer, dum dispersas et mirum in modum perturbatas atque inversas pagellas ad iustum locum revocarem, dum denique non paucos etiam, quibus Codex laborat, errores probabili coniectura sanarem. Sed nulla esse potuit asperitas tanta, quæ meam extingueret Tulliani thesauri detegendi cupiditatem. Immo laborem omnem atque molestiam fructus dulcissimus abunde compensat. Vos modo, candidi Lectores, exigui mei ingenii conatum boni consulite, et novis Tullii copiis ad vestra studia feliciter utimini.

---

[a] Cap. XXXIX.

End of first Dissertation after p. 15

POSTEATA...
CONSCRIPTRIASUNT

LITV
DER
VER
ISSE
TETC gaunde
REN
TEST
ATQU
MOR
SATI
NON
TON
VI

Specimen Characteris Codicis Ambrosiani

POSTEATARQUINIUSPRISCUSADDIDITALIOSCEN
CONSCRIPTIPOSTPLACUITPOPULOADDIFAMILIASPLEB

ADSENATUMETFACTISUNTSENATORESPLEBEITRIASUNT



CCETRAHEBATUR·MAGNASTIPAN
TE CATERUA
TURPISADULTERII MULIERLAPI
DANDA REATU

PRO SCAURO

LITUAETNA
DEREDICIU
UERREM
ISSEMSIC
TETOTATU
RENDINA
TESTEPROU
ATQUOTES
MORTALESN
SATISQUODU
NONQUOD
TONONQUOD
UI

uputantiquorumN
uterdamtanominibusiumetentur durpicaunde
aputtorconsulfactus

M. TULLII CICERONIS

PARS INEDITA

ORATIONIS PRO SCAURO

CUM ANTIQUIS SCHOLIIS ITEM INEDITIS.

EDITORIS MONITUM.

In Editionibus brevissima excerpta extant Orationis Tullianæ pro Scauro, alia cum Asconii Commentario et argumento ab eodem confecto, alia ex variis Auctoribus collecta. Nos partem Exordii invenimus, Divisionem, et priora duo Orationis membra, et denique aliquot super his Scholia: quæ Scholia utrum Asconium parentem habeant, an alium quemvis e Veteribus, definire diserte non licet. Cæterum Asconii cogniti Commentarii hoc habent proprium, ut breviter et erudite textum explicent, historias et consuetudines romanas evolvant, ius lucide sapienterque declarent. Hæc omnia in his scholiis, qui leget, deprehendet. Ceterum quod hæc Scholia absint ab edito Asconii Commentario nemo miretur, nam et ipsius Orationis non nisi tenuissimæ particulæ cum Asconio servatæ sunt. Pereunte igitur textu nil mirum est periisse et Commentarium.

PARS ORATIONIS PRO SCAURO

CUM ANTIQUIS SCHOLIIS.

. . . . Non habuisti quod dares?[a] habuisse se dicit. Quis id sciet? quis id iudicavit non fuisse? Causam fingit fuisse. Quem refellemus? Potuisse non dare se: noluisse, ut ereptum esse diceret. Quæ potest eloquentia disputando ignoti hominis impudentiam confutare? Non agam igitur cum ista Sardorum conspiratione et cum expresso et coacto sollicitatoque periurio subtiliter, nec acu quædam enucleata argumenta conquiram; sed contra impetum istum illorum impetu ego nostro concurram atque confligam. Non est unusquisque mihi ex illorum acie protrahendus, neque cum singulis decertandum atque pugnandum. Tota est acies illa uno impetu prosternenda.* Est enim unum maximum totius Sardiniæ

---

* *Scholium minutis rudioribus litteris.*

Hoc dicit: cum sint inpudentissimi testes, non debere singulis respondere sed universis simul.

---

[a] Puto agere Ciceronem de Frumento, quod iniuste exegisse in Sardinia Scaurus fortasse arguebatur. Vide notam sequentem. Et hæc quidem Oratio est de Scauro filio: cæterum de Scauro patre ad quem res frumentaria translata etiam fuit, vide Cicer. pro Sextio cap. XVII. et in Verr. Lib. III. cap. XC.

frumentarium crimen,[a] de quo Triarius omnis[b] Sardos interrogavit: quod genus uno testimonii fœdere, et consensu omnium est confirmatum. Quod ego crimen antequam attingo, peto a vobis, Judices, ut me totius nostræ defensionis quasi quædam iacere fundamenta patiamini: quæ si erunt ut mea ratio et cogitatio fert, postea et constitutam illam accusationis partem pertimescam. Dicam enim primum* de ipso genere accusationis, postea de Sardis, tum etiam pauca de Scauro: tum denique ad hoc terribile et formidulosum frumentarium crimen accedam.

Quod est igitur hoc accusationis, Triari, genus? Primum ut inquisitum non ieris[c] quæ

* *In margine scribitur:* Propositio.

[a] Hinc prorsus apparet hanc Scauri causam partim saltem fuisse frumentariam, quod nondum liquebat. Nam Asconius in argumento edito tantum dicit: "Ex prætura Scaurus Provinciam Sardiniam obtinuit, in qua neque satis abstinenter se gessisse existimatus est, et valde arroganter." Liber tertius Ciceronis in Verrem totus est de re frumentaria in Sicilia. In quibus igitur capitibus Tullius Verrem toto eo libro pro Siculis accusavit, in iisdem fere hac Oratione Scaurum contra Sardos defendisse puto. Et bene paulo infra hæc causa Sardiniensis a Cicerone comparatur cum Sicula, siquidem idem Tullius in Oratione Pompeiana cap. XII. Sardiniam et Siciliam inter frumentaria subsidia reip. numerat. Iam præfecti rei frumentariæ dicebantur, quibus cura erat conquirendi in provinciis frumenti quod in horrea publica conveheretur: quod munus quantis criminibus esset obnoxium, facile patet. De frumento decumano, empto, et æstimato, deque fraudibus in his exactorum, vide sis iam laudatum Librum III. in Verrem.

[b] Nomen Accusatoris, de quo Asconius in argumento Orationis edito.

[c] Reprehendit Cicero Triarium accusatorem, qui damnari Scaurum vellet, licet in Sardiniam ad inquirendum non ivisset. Quod de eodem Triario narrat etiam Asconius in argumento.

fuit ista tam ferox tam explorata huius opprimendi fiducia? Pueris nobis audisse videor Vælium libertinum hominem, dum vices[i] gerit patroni, in ius nomen Quinti Muttonis hominis sordidissimi detulisse: a quo cum quæreretur,[k] quam provinciam aut quam diem testium postularet, horam sibi octavam, dum in foro boario inquireret, postulavit. Hoc tu idem tibi in Æmilio Scauro putasti esse faciendum. Atqui hominis prudentis natura, callidi usu, doctrina eruditi, tamen ego mihi provinciæ causam in provincia ipsa cognoscendam putavi.[l] An ego querellas[m] atque iniurias . . . .

. . . *ha*litu[n] Ætnam ardere dicunt; sic Verrem operuissem Sicilia teste tota tuo Coperendinastium[o] teste producto. At quo teste, Di immortales! non satis quod uno, non quod ig-

---

[i] Locus in codice corruptus sic habet:" cum vices geritur pa-" troni iniurias nomen inquit Muttonis, etc." Lucem aliquam affert huic loco Cicero ipse in Fragm. Orat. pro Fundanio cum ait: *Non modo hoc a Villio Annale, sed vix mehercule a Q. Mutone factum probari potest.*

[k] Codex *quæretur*.

[l] Meminit causæ Verrinæ, ad quam cognoscendam Cicero inquisitionis tempus in Siciliam postulavit dies cx. ut narrat Asconius in Argumento Actionis I. in Verrem.

[m] *Quærella* pro *querela* scribitur constanter in hoc et aliis antiquissimis Codicibus quos vidi. Sed dipthongum tollendam puto propter brevem quantitatem, duplicem *l* retinendam propter Codicum et aliquot etiam Inscriptionum auctoritatem. Sic in antiquis Codicibus Ambrosianis sæpe vidi *tutella*, *medella*.

[n] In Ciceronis textu nos raro admodum litteras aut verba supplemus, eaque ipsa charactere diverso et macriore semper distinguimus, ut hîc priores duas litteras vocabuli *ha*litu.

[o] *Coperendinastium* Urbem (si ita intelligendus est locus) in Sardinia non vidi memoratam apud Geographos veteres. Codex ita habet, sed corrigatur *comperendinantium*.

noto, non quod levi. Etiamne Valerio teste primam actionem confecisti? qui patris tui beneficio civitate donatus gratiam tibi non inlustribus officiis, sed manifesto peiurio[a] retulit. Quod si te omen* nominis vestri forte duxit, nos tamen id more maiorum, quia faustum putamus, non ad perniciem, verum ad salutem interpretamur. Sed omnis ista celeritas ac festinatio, quod inquisitionem, quod priorem actionem[c] sustulisti, illud patefecit

---

* *Scholium minutis rudioribus litteris.*

Aput[b] antiquos omn. . . . *mos fuit,* ut etiam ex nominibus sumerentur auspicia. Unde aput eos consul factus si coepisset colligere milites et novum sibi exercitum scribere, laborabat ut hæc duo nomina prima induceret: et si non fuissent his nominibus homines, fingebantur. Necesse enim erat ut hæc nomina prima essent in exercitu propter omen, Valerius, Statorius. Ex Valeri autem nomine hoc omen trahebatur ut valeret exercitus, ex Statori ut staret. Dicit Cicero: forte tu ideo primum testem induxisti illum propter omen, ut valeret accusator. Et quoniam hoc nomen faustum semper a maioribus putatum, ad salutem magis debere valere, non ad perniciem.

---

[a] A *peiero peiurium.* Pagina 3. tamen *periurio.*

[b] *Aput* pro *apud* constanter fere lego in hoc et aliis antiquis Codd.

[c] Iudicia pæne omnia apud romanos in duas actiones dividebantur. Siquidem lex erat, ut post primam actionem secunda posset institui, in qua iterum actâ causâ, demum sententia ferretur. Utriusque exemplum est in Verrinis. Nam post primam actionem fingit Cicero adesse in iudicio Verrem comperendinatum, ideoque in eum secundam actionem intendit quinque libris constantem. Videndus Sigonius de Iudiciis Lib. II. cap. XIII. XXI.

et inlustravit, quod occultum tamen non erat, non esse hoc judicium judicii, sed comitiorum consularium causa comparatum.[n] Hic ego Appium Claudium consulem fortissimum atque ornatissimum virum, mecumque, ut spero, fideli in gratiam reditu firmoque conjunctum[o] nullo loco, Iudices, vituperabo. Fuerant enim eæ partes aut ejus quem id facere dolor et suspicio sua coegit, aut ejus qui has sibi partes depoposcit. Quod aut non animadvertebat quem violaret, aut facilem sibi fore reditum in gratiam arbitrabatur. Ego tantum dicam quod et causæ satis, et in illum minime durum aut asperum possit esse. Quid enim habet turpitudinis Appium Claudium M. Scauro esse inimicum? Quid? avo Appius[p] Africano non fuit? Quid mihi ipse idem iste?[q] Quid ego illi? quæ inimicitiæ dolorem utrique fortasse aliquando, dedecus vero certe numquam attulerunt. Successum[r]

---

[n] Hoc dicit Cicero: Triarium eam dicam Scauro impegisse ut eum consulatu, quem petebat, excluderet. Quod confirmat Asconius in argumento.

[o] De simultatibus et reconciliatione Ciceronis cum Appio Claudio vide epistolas plures Libri III. ad Familiares. Et quidem pro Milon. XXVII. scribit Cicero: *Appium fratrem* (*P. Clodii*) *hominem mihi coniunctum fidelissima gratia.*

[p] Ita forte videtur in Codice: sed in dubia lectione non moror. Cicero de Provinc. Consul. VIII. scribit Tiberium Gracchum patrem, fuisse inimicissimum Africani. Sed *Tiberii Gracchi* nomen prorsus non est in hoc Codicis loco. Sunt autem in Codice dubiæ lectionis ea verba, quibus nos puncta subscribimus.

[q] Nempe Appius Claudius.

[r] Appius Claudius consulatum gessit anno Urbis DCC. cui ne Scaurus succederet excitata hæc causa dicitur, favente adversariis ipso consule Appio Claudio. Ergo causa non anno DCXCIX. ut in nonnullis editionibus dicitur, sed DCC. orata est.

decessor invidit, et voluit eum quam maxime offensum, quo magis ipsius memoria excesserat. Res non modo non abhorrens a consuetudine, sed usitata etiamnum et vulgata. "Neque[n] "vero hæc ipsa cotidiana res Appium Clau-"dium illa humanitate et sapientia præditum "per se ipsa movisset, nisi hunc C. Claudi Fra-"tris sui competitorem fore putasset. Qui sive "patricius* sive plebeius esset (nondum enim

---

* *Scholium minutis sed quadratis litteris.*

Centum Senatores creavit Romulus: postea Tarquinius Priscus addidit alios centum *eosque* conscripsit, eoque[o] vocabulo conscriptis patribus dicti sunt conscripti. Post placuit populo addi familias plebeias ad senatum, et facti sunt senatores plebei. Tria ergo sunt genera quæ venerunt ad senatum. Primum patrum genus, secundum conscriptorum genus, tertium plebeium. Sed conscriptorum et patriciorum unum est meritum. Non licebat patricium petere tribuniciampotestatem, sed si plebeius esset, petebat. Patricius senator fuerat Clodius *qui pepulit* in exilium Ciceronem Isti Claudi tres erant senatores fratres; unus qui modo consul est, alius qui Asiam tenebat prætor, tertius ille Claudius qui se de patricio plebeium fecerat.[p] Pontifices non fiebant nisi de patriciis. Certi pontifices in Saliatu mensam, et in ceteris quibusdam sacerdotiis quæ

---

[n] Quos versus virgulis distinguimus, ii sunt editi in Fragmentis huius Orationis, quæ servavit Asconius.

[o] Cod. *eone.*

[p] Asconius ad Orat. contra Pison. Edit. Leyd. p. 162. ait, se iam sæpe significasse P. Clodii Appium Claudium fuisse fratrem. Tum duas familias Claudias, alteram patriciam alteram plebiam nominat idem Asconius in Fragm. Commentarii ad Orat. pro Scauro p. 175.

certum constituerat) cum hoc sibi certum[g] "contentionem fore putabat." Appius autem hoc maiorem etiam quod illum in pontificatus petitione, in saliatu, in ceterîs meminerat fuisse patricium. Quamobrem se consule neque repelli Fratem volebat, neque, si patricius esset, parem Scauro fore videbat, nisi hunc aliquo aut metu aut infamia perculisset. Ego id Fratri in honore Fratris amplissimo non concedendum

---

solebant administrare patricii, ubi administrassent hæc sacerdotia, fiebant consules. Lex erat autem favens colonis, ut unus fieret de patriciis, alius de plebeis. Lex etiam erat ut liceret duos plebeios esse, non liceret duos patricios. Ergo necesse fuerat ut unus fieret plebeius, unus patricius: Priores quidem consules fiebant plebei: sed patricius administrabat in fi nita Sacerdotia, *seroque* perveniebat ad consulatum. Contra plebeius cito veniebat. Sed melioris loci est patricius consul, quam plebeius. Scaurus antea patricius fuerat. Claudius qui frater est Claudi consulis æque patriciusfuit. Ambo patriciis e familiis migraverant ad plebem, qui patricii fuerant. Claudius nondum statuerat conpeteret ne patricius an plebeius? *Sed tute neutro in* gradu petere consulatum poterat . . . Ideo *igitur dicit Cicero* accusationem intendere M. Scauro, quod ei non poterat competere aut quasi patricius, aut quasi plebeius.[c]

---

[c] Moneo, me hoc scholium non potuisse integrum describere: adeo scriptura est partim obliterata, partim rescriptionis superinductione obtura.

[g] Videtur corrigendum *certam*. Narrat autem Cicero Pro Domo sua ad Pontif. XIII-XIV. P. Clodium in gentem Fonteiam per adoptionem transisse, ut e patriciis videlicet exiret, et tribunus plebis fieri posset. Qui locus Ciceronis, hanc illustrat partem Orationis pro Scauro.

putem? præsertim qui quid amor fraternus valeat, pæne præter ceteros sentiam. At enim Frater iam non petit; quid tum? si ille retentus a cuncta Asia supplice,[d] si a negotiatoribus, si a publicanis, si ab omnibus civibus, sociis exoratus anteposuit honori suo commoda salutemque provinciæ, propterea putassem et exulceratum animum facile potuisse sanari? Quamquam in istis omnibus rebus, præsertim aput homines barbaros, opinio plus valet sæpe quam res ipsa. "Persuasum est[e] Sardis, se nihil "Appio gratius esse facturos, quam si de "Scauri fama detraxerint." Multorum etiam spe commodorum præmiorumque ducuntur. Omnia consulem putant posse, præsertim ultro pollicentem. De quo plura iam non dicam. Quamquam ea quæ dixi non secus dixi, quam si eius frater essem: nec is[f] qui et est et qui multa dixit, sed is qui ego in meum[g] consuevi. Generi igitur totius accusationis resistere, iudices, debetis: in quo nihil moderate, nihil considerate, nihil integre: contra improbe, turbide, festinanter, rapide: omnia conspiratione, imperio, auctoritate, spe, minis[h] videtis esse suscepta.

---

[d] Recole superius scholium ubi iste Claudius dicitur Asiæ præfuisse prætor.

[e] Hi duo versus sunt editi in Fragmentis Orationis huius collecti scilicet ex Arusiano Messo.

[f] Cod. *non is.*

[g] Forte supplendum *Fratrem,* aut potius emendandum *in eum.*

[h] Cod. *spem in his.*

Venio nunc ad testes, in quibus docebo non modo nullam fidem et auctoritatem, sed ne speciem quidem esse aut imaginem testium. Etenim fidem primum ipsa tollit consensio, quæ late facta est compromisso Sardorum et coniuratione rogitata. Deinde illa cupiditas quæ suscepta est spe et promissione præmiorum. Postremo ipsa Natio, cuius tanta vanitas est, ut libertatem a servitute nulla re alia, nisi mentiendi licentia distinguendam putet.[h] Neque ego Sardorum querellis moveri nos numquam oportere *aio*.[i] Non sum aut tam inhumanus, aut tam alienus a Sardis, præsertim cum Frater meus nuper ab his decesserit, cum rei frumentariæ Gn. Pompei missu præfuisset.[k] Qui et ipse illis pro sua fide et humanitate consuluit, et eis vicissim percarus et iucundus fuit.

---

[h] Sæpe Cicero in Sardos invectus est. In Orat. de Prov. Consil. VII. dicit eos *mastrucatos latrunculos* (fuit autem mastruca Sardiniense vocabulum scorteæ vestis). Epist. ad Famil. Lib. VII. 24. de Tigellio Sardo ait: "in lucris pono non ferre hominem pes- "tilentiorem patria sua." Ibidemque "Habes Sardos venales "alium alio nequiorem." Tum. IX. 7. de Sardinia ait: "Nec ul- "lum habet (Cæsar) prædium deterius, sed tamen non contemnit." Sed nimirum Ciceroni, præsertim in Orationibus, hic mos fuit, ut ad elevandam testium adversariorum fidem, eas gentes vituperaret, ad quas ii suum genus referrent. Sic in Orat. pro Flacco, quia testes adversarii erant græci, græcam gentem acerbissimis contumeliis perfundit. Et in Orat. pro Fonteio ut Gallos testes infringat, genti Gallicæ maledicit.

[i] Addo *aio*, quod deest in Codice.

[k] Vide epistolas plures Marci Ciceronis Lib. II. ad Q. Fratrem in Sardinia degentem. Iam vero ex hoc loco Orationis patet, quod olim Paulus Manutius in Commentario ad Epist. I. huius Lib. II. suspicatus fuerat, Q. nempe Ciceronem non alia quam rei frumentariæ causa a Pompeio in Sardiniam fuisse missum. Et quidem Pompeium curam gessisse rei frumentariæ patet ex Orat. pro Domo sua X.

Pateat vero hoc perfugium dolori, pateat iustis querellis: coniuratio vi intercludatur, obsidietur[l] insidiis. Neque hoc in Sardis magis, quam in Gallis, in Afris, in Hispanis. Damnatus est L. Albucius[m] et C. Megaboccus[n] ex Sardinia, nonnullis etiam laudantibus Sardis.[o] Ita fidem maiorem varietas ipsa faciebat. Testibus enim æquis, tabulis incorruptis tenebantur. Nunc est una vox, una mens non expressa dolore sed simulata, neque huius iniuriis sed promissis aliorum et præmiis excitata. At creditum est aliquando Sardis, et fortasse credetur aliquando: si integri venerint, si incorrupti, si sua sponte, si non alicuius inpulsu, si soluti, si liberi. Quæ si erunt, tamen sibi credi gaudeant et mirentur. Cum vero omnia absint, tamen, se non respicient, non gentis suæ famam perhorrescent?

---

[l] Cod. *obsidiatur*.

[m] De L. Albucio qui Sardiniam rexit vide Divinat. in Verr. XIX. ubi dicitur fuisse defensus a C. Iulio in causa qua tamen cecidit, ut patet ex eodem Cicerone in Pison. XXXVIII. "Albucius cum in "Sardinia triumphasset, Romæ damnatus est." Vide etiam de Prov. Consul. VII. ubi indicatur Albucii crimen.

[n] Hoc nomen occurrit apud Cic. II. ad Attic. 7. "Megaboc- "chus et hæc sanguinaria iuventus inimicissima est." Megabacchum (una littera diversa) memorant Plutarchus in Crasso, et Appianus de bell. parth. n. 145, ut virum animi celsitudine et vi corporis insignem, qui in ea infesta pugna cum Parthis ad Carrhas, se ipsum confodit anno proximo post hanc Orationem a Cicerone dictam.

[o] Mos fuit ut reus, præter patronos, laudatores etiam adhiberet. Hi fuere interdum, si res ita ferret, homines provinciales, quos singulæ civitates ab eo administratæ, cum publica laudatione ad sublevandum rei periculum mittebant. V. Sigonium de Iudiciis Lib. II. cap. XIX. et ex. gr. laudationes Flacci in Orat. pro eo cap. XL.

Fallacissimum genus esse Phœnicum omnia monumenta vetustatis atque omnes historiæ nobis prodiderunt. Ab his orti Phœni[l] multis Carthaginiensium rebellionibus,[m] multis violatis fractisque fœderibus, nihil se degenerasse docuerunt. A Pœnis admixto Afrorum genere Sardi[n] non deducti in Sardiniam atque ibi constituti, sed amandati[o] et repudiati coloni. Quare cum integri nihil fuerit in hac gente plena, quam valde eam putamus tot transfusionibus coacuisse? Hic mihi ignoscet Gn. Domitius Singaius*[p] vir ornatissimus hospes et familiaris meus; ignoscent Deletones[q] ab eodem Gn. Pompeio civitate donati, quorum tamen omnium laudatione utimur;[r] ignoscent alii

---

* *Nota est in margine;* "Civis romanus, quem romanum fecerat" *forte Pompeius.*

---

[l] *Phœni.* Sic Codex.

[m] Cod, *rebelliinsibus.*

[n] De hac Sardorum origine testatur etiam Pausanias Phoc. XVII. Tum aliam Afrorum excensionem in Sardiniam memorant ibidem Pausanias et Strabo Lib. V. Et quidem Strabo diserte scribit *ὕστερον δὲ Φοίνικες κατεκράτησαν οἱ ἐκ* Καρχήδονος *postea Phœnices Carthaginis incolæ eam obtinuerunt.*

[o] Cod. *amendati.*

[p] Etiam in Fragmento I. edito huius Orationis nominatur Gn. Domitius. Sed hic Singaius videtur Sardus.

[q] Sic videor legere in Codice, litteras tamen dubias punctis notavi. Vereor me recte non legere, quia hic populus in Sardinia non mihi occurrit apud Geographos veteres. Porro ait Cicero Orat. pro Cornelio Balbo XIV. "Lex Gellia et Cornelia definite potes- "tatem Pompeio civitatem donandi dederat."

[r] De Laudatoribus in iudiciis vide supra p. 12. nota 4.

viri boni ex Sardinia: credo enim esse quosdam. Neque ego cum de vitiis gentis loquor, neminem excipio. Sed tamen [s] est de universo genere dicendum, in quo fortasse aliqui suis moribus et humanitate, stirpis ipsius et gentis vitia vicerunt, Magnam quidem esse partem sine fide, sine societate et coniunctione nominis nostri res ipsa [t] declarat. Quæ est enim, præter Sardiniam, provincia quæ nullam habeat amicam P. R. ac liberam civitatem?* Africa ipsa parens illa Sardiniæ, quæ plurima et acerbissima cum maioribus nostris bella gessit, non solum fidelissimis regnis, sed etiam in ipsa provincia se a Societate punicorum bellorum, Utica teste [w], defendit. Hispania ul-

---

* *Scholium rudioribus minutis litteris.*

Aliæ civitates sunt stipendiariæ, aliæ liberæ. Stipendiariæ quæ bello subiunguntur; liberæ quæ ad amicitiam sponte veniunt. Dicit Cicero: in omnibus provinciis, quæ contra nos bella gerunt, invenimus aliquas civitates liberas, quæ ad amicitiam nostram sponte venerunt. Sola Sardinia est, in qua nulla civitas nobis amica sit.[x]

---

[s] Cod. *amen.*

[t] Cod. *re ipsa.*

[x] Sic Cicero pro Cornelio Balbo IX. "Nam et stipendiarios ex "Africa, Sicilia, Sardinia, ceteris provinciis multos civitate donatos videmus."

[w] Tertio bello punico incipiente. Utica maxima post Carthaginem urbs Africæ ad Romanos a Pœnis descivit. Vide Appianum, Polybium legat. 142. Livii epitomem Lib. XLIX. De Scipionum autem nece et Gaditanæ urbis in romanos fide testatur etiam Cicero Orat. pro Cornelio Balbo XV.

ulterior Scipionum * . . . *b*ono quanti quod habebat veniret.

Agedum ego defendi S*cau*rum . . . Triari: d*efend*e tu matrem . . . *int*erpretari non solvendo fuisse bona. Denique reus bo*na* . . proscri*pta* esse bonis . . . .
Te dixi libidinosam atque inprobam matrem infami ac noto adulterio iamdiu diligebat is, cum hanc suam uxorem anum et locupletem et molestam timeret: neque eam habere in matrimonio propter fœditatem, neque dimittere propter dotem volebat. Itaque compecto[k] cum matre Bostaris consilium cepit ut uterque Roman veniret. Ibi se aliquam rationem inventurum, quemadmodum illam uxorem duceret confirmavit. Hic opinio fuit, ut dixi,[l] duplex: una non abhorrens a statu naturaque rerum,

* *Scholium minutis rudioribus litteris.*

Scipiones cum gererent in Hispania bellum occisi ambo sunt. Deficientibus tunc omnibus Hispaniæ civitatibus ab amicitia populi romani, Gaditana sola civitas in fide mansit, defectumque ac sine imperatoribus romanum suscepit ac fovit exercitum.

[k] Nota Ciceronianum adverbium *compecto* a verbo compeciscor, quod verbum occurrit apud Plautum Pseud. i. 5. 129. Ibidem tamen 126. Plautus habet *de compacto*.

[l] Nimirum Cicero in superiore lacuna egerat de morte Uxoris Arinis, quod colligitur etiam ex Marciano Capella Lib. v. de Quest. Rhet. ubi ait: "An aliud in Scauriana succurrit, cum interposita "disputatione tractatur ex quibus causis mors eveniat repentina?"

Arinis uxorem pælicatus[m] dolore concitatam, cum audisset Arinem cum illa sua metus et fugæ simulatione Romam se contulisse, ut cum antea consuetudo inter eos fuisset, tum etiam nuptiis iungerentur; arsisse dolore muliebri, et mori quam id perpeti maluisse. Altera non minus verisimilis, et, ut opinor, in Sardinia magis etiam credita, Arinem istum testem atque hospitem, Triari, tuum proficiscentem Romam negotium dedisse liberto, ut illi aniculæ non ille quidem vim adferret, neque enim erat rectum patronæ, "sed collum digitulis duobus oblideret,"[n] resticula cingeret, ut illa perisse suspendio putaretur. Quæ quidem suspicio valuit etiam plus ob hanc causam, quod cum agerent parentalia Norenses,[o] omnes, qui suo more ex oppido existent, tumulata est a liberto, suspendisse se dicta. Discessûs autem solitudo ei qui patronam suffocabat fuit quærenda, illi quæ volebat mori non fuit. Confirmata vero suspicio est, quod anu mortua libertus statim, tamquam opere confecto, Romam profectus est. Aris autem, simul ac libertus de morte uxoris nuntiavit, continuo Romæ matrem illam Bostaris duxit uxorem.

---

[m] Priscianus Lib. 6. qui huius loci refert quinque verba, scribit *pellicatus.*

[n] Extant hæc etiam quinque verba inter Fragmenta edita huius Orationis.

[o] Nora fuit olim Sardiniæ urbs, de qua cuncti Geographi veteres.

[z] Em quibus familiis quam fœdis quam contaminatis quam turpibus datis hanc familiam, Iudices! Em quibus testibus commoti, de quo homine, de quo genere, de quo nomine sententias feratis! Obliviscendum vobis putatis matrum in liberos,[a] virorum in uxores scelera? Cernitis crudelitate mixtas libidines; videtis immanis duorum maximorum criminum auctores, quibus criminibus hæc tota aput ignaros aut invidos famata[b] causa est, omni facinore et flagitio deformatos habetis. Num igitur in his criminibus, Iudices, re[c] sit etiam aliqua suspicio non perpurgata, aut non refutata, non fracta? Quî igitur id factum est? Quia dedisti mihi, Triari, quod diluerem, in quo argumentarer, de quo disputarem. Quia genus huiusmodi fuit criminum, quod non to-

---

[z] Ita sine aspiratione.

[a] In superiore lacuna periit facinus impiæ matris in filium Bostarem, neque inter edita fragmenta satis certum vestigium huius rei apparet. Aliquod lumen affert locus Severiani *de Proposit. Adversarii*, ubi ex hac Oratione exemplum petens sic ait: "Quæ "incredibilia visa fuerint aut imbecillia, ita universa ponantur, "sicut ab adversario dicta sunt, ut est illud: *Bostarem igitur* "*quemdam Norensem fugientem e Sardinia Scauri adventum.* Tum "addit." Cicero etiam augendi criminis causa: *prius illum sepultum, quam huic cœnam sublatam.* Videtur igitur Mater dedisse operam ut filius occideretur, ne forte ille sibi nuptias cum Arine impediret. Et quidem Bostarem fuisse occisum, patet omnino ex Martiano Capella Lib. v. cap. de Genere Demonstrativo, qui locus nobis est opportunissimus, quia etiam argumentum totius Scaurianæ explicare videtur. Ait igitur Capella: "Multiplex vero ex "pluribus quæstionibus causa consistit, ut repetundarum omnes "Verrinæ: et pro Scauro, de Bostaris nece, de Arinis uxore, et "decimis tribus exquiritur." Hæc igitur nefaria Mater Bostaris scelere exæquanda est illi famosæ Matri Cluentii.

[b] Sic Codex *famata.*

[c] Vel coniungatur *resit.*

tum penderet ex teste, sed quod ponderaret Iudex ipse per se. Neque vero, Iudices quicquam aliud in ignoto teste* facere debemus, nisi ut argumento, coniectura, suspicione rerum ipsarum vim naturamque quæramus. Etenim testis non modo Afer[b] aut Sardus (sane si ita se isti malunt nominari) sed quivis etiam elegantior ac religiosior inpelli, deterreri, fingi, flecti potest: dominus est ipse voluntatis suæ, in quo est inpunita simulandi licentia. Argumentum vero quo quid est proprium rei (neque enim ullum aliud argumentum vere vocari potest) rerum vox est, naturæ vestigium, veritatis nota. Id qualecumque est, maneat immutabile necesse est. Non enim fingitur ab Oratore, sed sumitur. Quare in eo genere accusationis si vincerer, succumberem et cederem: vincerer causa, vincerer veritate. Agmen tu mihi inducas Sardorum et catervas, et me non criminibus urgere, sed Afrorum fremitu terrere conere. Non potero equidem disputare, sed ad horum fidem et mansuetudinem[c] con*fugiam* . . . . . qui hanc familiam

---

* *Scholium minutis rudioribus litteris.*

Cecidit locus communis duplex, unus argumentis esse credendum, alter testibus non credendum. Quis non te . . . argumenti . . .

---

[b] Dixit Cicero superius de Africana origine Sardorum.
[c] Videtur Cicero ad perorationem deflectere.

principem[l] . . . . Deorum immortalium Numen implorare potero, qui semper extiterunt huic Generi Nominique fautores. Poposcit imperavit eripuit coegit.[m] Si docet tabulis, quoniam habet seriem quandam et ordinem contracti negoti confectio ipsa tabularum, *contendam* acriter, et quid in offendendo mihi . . . . quemadmodum mihi cum quoque confligendum sit considerabo. Sin unus color, una vox, una Natio sit omnium testium, si quod ii dicunt non modo nullis argumentis, sed ne litterarum quidem aliquo genere aut publicarum aut privatarum, quod tamen ipsum fingi potest, confirmare conantur, quo me vertam, Judices? aut quid agam? Cum singulis disputem? quid? . . . .
. . . .

Cetera desiderantur.

---

[l] M. Scaurus pater, princeps Senatus fuit, teste Asconio in Argumento, et Cic. pro Sextio XVII. *Ad Principem at Senatus et civitatis M. Scaurum.* Scauri infinitam magnificentiam in ædilitate describit Plinius Lib. XXXVI. 24.

[m] Videtur iterum agere Cicero de re frumentaria, de qua in divisione Orationis proposuit se dicturum. Sed universa hæc pars Orationis intercidit.

CICERONIS

PARS ORATIONIS INEDITÆ

PRO TULLIO.

EDITORIS MONITUM.

Orationis pro M. Tullio pauci versus huc usque supererant, ex Prisciano, Quintiliano, Victorino et Martiano Capella eruti. Habes iam e Codice nostro partem Exordii et integram ferme Narrationem. Sed quis est iste M. Tullius, pro quo hæc Oratio dicta fuit? M. Tullium Deculam suspicatur Sigonius. Certe hic consulatum anno U. C. DCLXXII. gessit, Cicerone iam ad eloquentiæ laudem virescente: nam eo anno Quinctium ab eo defensum narrat Gellius lib. xv. cap. 28. Iam argumentum Orationis pro Tullio liquet ex ipso fragmento quod apud Capellam (lib. 5. cap. de Partitione) legitur, nempe: Damnum passum esse M. Tullium convenit mihi cum Adversario; hominibus armatis rem esse gestam, non inficiantur; a familia P. Fabii commissam, negare non audent. Iam dolo malo factum, ambigitur.

PRO TULLIO.

. . . . . ore, putavit ad officium suum pertinere adversario nulla in re parcere, quia me oportet Tullium pro Tullio facere homine coniuncto mecum non minus animo quam nomine. Ac mihi magis illud laborandum videtur, Recuperatores,[i] ne quod antea nihil in istum[k] *dixisse*[l] probare possum, in eo repræhendar, quod hoc tempore respondeo. Verum et tum id feci quod oportuit, et nunc faciam quod necesse est. Nam cum esset de re pecuniaria controversia, quod damnum datum M. Tullio diceremus, alienum a mea natura videbatur, quidquam de existimatione P. Fabi dicere; non quia res postulare non videretur. Quid ergo est? Tametsi postulat causa, tamen nisi plane cogit, ingratiis ad maledicendum non soleo descendere. Nunc cum coactus dicam, siquid

---

[i] Iudicum Recuperatorum officium declarat Gellius Lib. xx. cap. I. " Iniuriis æstimandis Recuperatores se daturos dixerunt." Item Festus voc. *Reciperatio* " Per reciperatores reddantur res " recipianturque, resque privatas inter se persequantur." Apud Recuperatores acta est a Cicerone etiam causa pro A. Cæcina, de qua et de hac pro Tullio Auctor Dialogo *de Oratoribus* cap. xx. dicit: " De exceptione et formula illa immensa volumina, quæ " pro M Tullio aut A. Cæcina legimus." Ex quo dicto cognoscimus etiam hanc Orationem pro Tullio fuisse longissimam.

[k] In P. Fabium, ut patet inferius.

[l] Codex habet: " ut quod antea nihil in istum dixi probare pos- " sum quam in eo repræhendar," etc. Porro *repræhendo* cum dipthongo vidi et in aliis antiquis codicibus.

forte dicam, tamen id ipsum verecunde: modique faciam tantum, ut quoniam sibi me non esse inimicum potuit priore actione[d] Fabius iudicare; nunc M. Tullio fidelem certumque amicum esse cognoscat. Nunc hoc abs te, L. Quinti,[e] pervelim impetrare, quod tametsi eo volo, quia mihi utile est, tamen abs te idcirco quia æcum est postulo, ut ita tibi multum temporis ad dicendum sumas, ut is[f] aliquid ad iudicandum relinquas. Namque antea non defensionis tuæ modus, sed nox tibi finem dicendi fecit. Nunc, si tibi placere potest, ne idem facias, id abs te postulo. Neque hoc idcirco postulo, quo te aliquid censeam præterire oportere, aut non quam ornatissime et copiosissime dicere; verum ut semel unaque aliquid de re dicas: quod si facies, non vereor ne dicendo dies eximatur.

Iudicium vestrum est, Recuperatores, quantæ pecuniæ paret dolo malo familiæ P. Fabi vi hominibus armatis coactis vi damnum factum

---

[d] Quæ sit prior actio; quæ secunda in iudiciis, dixi ad Orat. pro Scauro p. 6. nota 3.

[e] Adversarius Ciceronis in hac causa et P. Fabii patronus fuit L. Quintius. De hoc Cicero in Bruto LXII. ait: "Complures minime dignos elegantis conventus auribus, aptissimos cognovi turbulentis concionibus. quo in genere nuper L. Quintius fuit." Reapse hic idem Quintius patronus fuit Oppianici in horribili illa causa Cluentii. Et eum quidem in ea Oratione sæpe exagitat Cicero, capite præsertim XL. ubi eum sic graphice describit; "Facite enim ut non solum mores eius et arrogantiam, sed etiam vultum atque amictum, atque illam usque ad talos demissam purpuram recordemini."

[f] Cod. *ut is* pro *iis* more solito ut *Fabi* pro *Fabii.*

esse M. Tullio. Eius rei taxationem[i] nos fecimus: æstimatio vestra est: iudicium datum est in quadruplum.[k] Cum omnes leges omniaque iudicia quæ paulo graviora atque asperiora videntur esse, ex improborum iniquitate et iniuria nata sunt; tum hoc iudicium paucis hisce annis propter hominum malam consuetudinem nimiamque licentiam constitutum est. Nam cum multæ familiæ dicerentur in agris longinquis et pascuis armatæ esse, cædesque facere; cumque ea consuetudo non solum ad res privatorum, sed etiam ad summam remp. pertinere videretur; M. Lucullus[l] qui summa æquitate ac sapientia ius dixit, primus hoc iudicium composuit: et id spectavit ut omnes ita familias suas contineret, ut non modo armati damnum nemini darent, verum etiam lacessiti, iure se potius quam armis defenderent. Et cum scirent de damno legem esse Aquiliam,[m] tamen hoc ita existimavit, aput maiores nostros cum et res et cupiditates minores essent, et familiæ non magnæ magno metu continerentur, ut perraro fieret ut homo occidere-

---

[i] *Rei taxationem fecimus,* nempe quantum damni Tullius sit passus supputavimus.

[k] Scilicet, ut reus, si damnetur, solvat quadruplum damni illati. De *iudicio in quadruplum* vide etiam Lib. III. in Verr. XXIX.

[l] M. Lucullus ius inter peregrinos prætor dixit, teste Asconio ad Orat. Ciceronis in toga candida. Frater Lucii is fuit, ut narrat Plutarchus in Lucullo.

[m] Latam scilicet ab Aquilio tribuno, cuies capita aliquot refert Caius ad Edictum provinciale. Vide Pitiscum voc. *Lex Aquilia.*

tur, idque nefarium et singulare facinus putaretur; nihil opus fuisse iudicio de vi coactis armatisque hominibus. Quod enim usu non veniebat, de eo siquis legem aut iudicium constitueret, non tam prohibere videretur, quam admonere.[i] His temporibus cum ex bello diuturno atque domestico res in eam consuetudinem venisset, ut homines minore religione armis uterentur; necesse putavit esse in universam familiam judicium dare, quod a familia factum diceret jure: et Reciperatores dare, ut quam primum res iudicaretur, et pœnam graviorem constituere, ut metu comprimeretur audacia: et illam latebram tollere, damnum, *iniuria si absit, inferri posse*: *ut privati*[k] ipsi statuerent, quo tempore possent suo iure arma capere, manum cogere, homines occidere. Cum iudicium ita daretur, ut hoc solum in iudicium venire videretur, ne vi hominibus coactis armatis vi damnum dolo malo familiæ datum, neque illud aderit INIURIA;[l] putavit se au-

---

[i] Sic prorsus idem Cicero in Orat. pro Roscio Amerino xxv. de Solone qui nullum supplicium parricidio statuerat, ait: "Sapienter "fecisse decitur, cum de eo nihil sanxerit, quod antea commissum "non erat, ne non tam prohibere, quam admonere videretur."

[k] Cod "damnum iniuria quod in iis cum vis debet valere puta "....ex huiusmodi damno quod vicem armatus..." Locus difficillimus lectu et obliteratus, qui sarciendus videbatur, ut fecimus.

[l] Aquilius tulerat legem nequis vi armata damnum inferret *iniuria*: quam iniuriam siquis negare poterat, ea lege non damnabatur. M. Lucullus eo sublato vocabulo omnino edixit, nequis vi armata dolo malo damnum inferret, quæ lex spem defensionis succidebat.

daciam improborum sustulisse, cum spem defensionis nullam relinquisset.[i]

Quoniam quod iudicium et quo consilio constitutum sit cognostis; nunc rem ipsam ut gesta sit, dum breviter vobis demonstro, attendite. Fundum habet in agro Thyrino[k] M. Tullius paternum, Recuperatores, quem se habere usque eo non moleste tulit, donec vicinum eiusmodi nactus est, qui agri fines armis proferre mallet, quam iure obtinere. Nam Fabius nuper emit agrum de C. Claudio senatore (cui fundo erat adfinis M. Tullius sane magno) dimidio fere incultum, exustis villis omnibus, pluris quam quanti integrum atque ornatissimum carissimis prætiis[l] ipse Claudius[m] . . . .

. . . .

. . . . clam circumscripsisset etiam consulari Macedonia et Asia. Etiam illud addam quod ad rem pertinet, Imperatore

---

[i] Etiam in aliis antiquis Codicibus vidi retentam *n* in præteritis verbo *relinquo*.

[k] Antiqua Urbs Lucaniæ fuit Thurium, in cuius regione natum Cæsarem Octavianum narrat Suetonius in eius Vita cap. 7. (Sed tamen Acro ad Horatii Lib. 2. Satyr. 8. v. 20. dicit Thurium oppidum Calabriæ.) De Colonia latina in Thurinum agrum deducta vide Liv. XXXIV. 53. At noster Codex habet *Thyrinum* ex permutatione consueta inter se vocalium eiusdem aut proximi soni: nam *y* apud Veteres sonabat interdum ut *u*. Citat hunc locum Quintilianus Inst. Lib. IV. cap. 2. sub finem: cuius aliquæ editiones habent *in agro Tigurino*, ut et Codex unus Ambrosianus Quintiliani: Verum longe rectius aliæ editiones *in agro Thurino*, quod confirmant tres Codd. Ambr. eiusdem Quintiliani. Reapse quis prædium divitis Viri romani inter montes potius Helvetios, quam in Lucaniæ beato agro requirat?

[l] Prætium semper fere vidi cum diphthongo in antiquis Codd.

[m] E. Codice dimidium huius folii cultro desectum fuit, unde lacunæ sex incommodissimæ extiterunt.

mortuo, pecuniam nescio quomodo quæsitam dum vult in prædio ponere, non posuit sed abiecit.[n] Nihil adhuc . . *stultitiam su*am calamitate vicinorum corrigit, et quod stomachum suum damno Tulli explere conatus est. Est in eo agro Centuria quæ Populiana nominatur, Recuperatores, quæ[o] semper M. Tulli fuit, quam etiam pater posse*derat* . . . posita esse et ad fundum eius convenire. Ac primum quod eum negoti totius et emptionis suæ pœnitebat, fundum proscripsit.[p] Eum autem emptum habebat cum socio Gn. Acerronio viro optimo . . . . modum proscripsisse. Hominem appellat. Iste sane adroganter quod commodum fuit respondit: neque dum fines auctor[q] demonstraverat. Mittit ad procuratorem litteras et ad vilicum Tullius . . . . facturum negavit: illis absentibus fines Acerronio demonstravit: neque tamen hanc Centuriam Populianam vacuam tradidit. Acerronius quomodo potuit sedet[r] orare ex . . . . . . *ag*mine eiusmodi semustulatus effugit.

Adducit iste interea in saltum homines elec-

---

[n] Eadem fere locutione contrarium dicit idem Cicero Philippic. III. cap. II. de Octaviano "patrimonium suum effudit. Quam-"quam non sum usus eo verbo quo debui. Non enim effudit, sed "in salute reip. collocavit."

[o] Cod. *qui*.

[p] Fundum proscribere, est venalem proponere.

[q] Scilicet Fabius venditor.

[r] *Sedere* fuit non raro apud Latinos verbum supplicantium. Nepos in Pausania IV. "Quem cum supplicem Dei videret in ara "sedentem." Tibul. Lib. 2. Eleg. 7. v. 15. "Illius ad tumulum fugiam supplexque sedebo."

tos maximis animis et viribus, et iis arma quæ cuique ab Italia atque apta essent comparat, prorsus ut quivis intellegeret[k] non eos ad rem rusticam, verum ad cædem ac pugnam comparari. Brevi illo tempore Q. Cati Æmiliani hominis honesti, quem vos nostis, duo[l] homines occiderunt: multa alia fecerunt: passim vagabantur armati, non obscure sed ut plane intellegere viderentur ad quam rem parati essent: agros, vias denique infestas habebant. Venit in Tyrinum[m] interea Tullius. Deinde iste pater familias Asiaticus beatus novus arator et idem pecuarius, cum amputaret in agro, animadvertit in hac ipsa Centuria Populiana ædificium non ita magnum, servumque M. Tulli Philinum. Quid vobis, inquit, istic negoti in meo est? Servus respondit pudenter at non stulte, Dominum esse ad villam: posse eum cum eo disceptare, siquid vellet. Rogat Fabius Acerronium, nam ibi tum erat, ut secum simul veniat ad Tullium. Venit. Ad villam erat Tullius. Appellat Fabius, ut aut ipse Tullium deduceret, aut ab eo deduceretur.[n] Dicit de-

---

[k] *Intellego* pro *intelligo* constantissime vidi in multis antiquis Codicibus.

[l] *Duo* pro *duos*, quod Grammatici concedunt.

[m] Superius scriptum est *Thyrinum*. Etiam codex unus Quintiliani Ambrosianus in loco supra citato habet sine aspiratione Tyrinum.

[n] Deducere aliquem de possessione, est eumdem expellere, vel ea privare. Confer pro A Cæcina VII. Denuntiat igitur Tullio Fabius optionem, ut de agro controverso aut ipse facessat, iudicio interposito, aut se esse ei cessurum.

ducturum se Tullius vadimonium Fabio Romam promissurum. Manet in ea conditione Fabiu . . . . [o].

Proxima nocte iam fere cum lux adpropinquaret, ad illud ædificium, de quo antea dixi, quod erat in Centuria Populiana, servi P. Fabi frequentes armatique veniunt. Introitum ipsi sibi manu [p] patefaciunt: homines magni prætii servos M. Tulli nec opinantes adoriuntur, quod facile factu fuit. Neque iam multos æque repugnantes multi armati paratique occidunt. Tantumque odii crudelitatisque habuerunt, ut eos omnes gurgulionibus [q] insectis relinquerent: ne siquem semivivum ac spirantem relinquissent, minor his honor haberetur. Præterea tectum villamque disturbant. Hanc rem tam atrocem tam indignam tam repentinam nuntiat M. Tullio Philinus quem antea nominavi, qui graviter saucius e cæde [r] effugerat. Tullius statim dimittit ad amicos, quorum ea vicinitate tum illa bona atque honesta copia præsto fuit. Omnibus acerba res et misera videbatur. Cum Amici in comm. . . . .

. . . .

Reliqua desiderantur.

---

[o] Sic in Verrem Act. I. cap. VI. de simili fere re inquit Cicero: "Mansit in ea conditione atque pacto *Verres*."

[p] Cod. *manuque*.

[q] Hic locus citatur a Capella Lib. V. cap. de elocutione, omisso nomine huius Orationis: sed iam apparet ex qua citaverit.

[r] Cod. *sede*.

SUPPLEMENTUM ORATIONIS TULLIANÆ PRO FLACCO INEDITUM.

EDITORIS MONITUM.

In Oratione pro Flacco *duæ sunt insigniores lacunæ ante caput* III. *altera ante* IX. *Censeo Fragmentum hoc collocandum ante caput* III. *ita ut expleat primam lacunam saltem ex parte. Agitur in capite* III. *edito de muneribus a Flacco gestis non sine optima fama pluribus in provinciis, et de testium adversariorum iniquitate atque ignobilitate. Atqui in nostro Fragmento de his ipsis agitur; ergo huc pertinere putandum est. Et quidem quum in fine Fragmenti dicatur Flaccus puer cum patre consule ad bellum esse profectus, in principio autem capitis* III. *editi munera, quibus Flaccus in reliqua vita functus est, enumerentur, videtur omnino Fragmentum hoc inserendum esse primæ lacunæ Orationis.*

FRAGMENTUM INEDITUM ORATIONIS PRO FLACCO.

. . . . externum cum domestica vita naturaque constarent. Itaque non patiar D. Læli,[m] te tibi hoc sumere, atque hanc ceteris in posterum, nobis in præsens tempus legem *et* conditionem *constituere*[n] . . . . Cum adulescentiam notaris, cum relicum[o] tempus ætatis turpitudinis maculis consperseris, cum privatarum rerum ruinas, cum domesticas labes, cum urbanam infamiam, cum Hispaniæ, Galliæ, Ciliciæ, Cretæ, quibus in provinciis non obscure versatus est, vitia et flagitia protuleris; tum denique quid Molitæ[p] et Loreni de L. Flacco existiment audiemus.

Quem vero tot iam gravesque provinciæ salvum esse cupiant, quem plurimi cives tota ex Italia devincti necessitudinis vetustate defendunt, quem hæc communis omnium nostrum patria propter recentem summi beneficii[q] memoriam complexa teneat; hunc etiamsi tota Asia deposcit ad supplicium, defendam, resistam. Quid si neque tota, neque optimos, neque incorruptos; neque sua sponte, nec iure, nec more, nec vere, nec religiose, nec integre? si

---

[m] D. Lælius fuit L. Flacci accusator de repetundis ex Asia.

[n] Dimidia columnæ pars abscissa fuit e Codice.

[o] *Relicum* pro *reliquum*. Sic in antiquis Codd. sæpe vidi *æcum* pro *æquum*, *anticum* pro *antiquum*, etc.

[p] Codex aperte *Molitæ*, sed videtur scribendum *Tmolitæ* aut *Timolitæ*. Vide huius Orationis caput III. editum: Tullius nimirum indicat adversarios testes ex oppido ad Tmolum Phrygia montem. *Loreni* item videtur nomen derivatum ab ignobili Asiæ vico. Porro Tullius, ut testium infringat auctoritatem, obscuritatem eorum patriæ deridet.

[q] Flaccus Ciceronem adiuverat ad Catilinæ coniurationem opprimendam, ut patet ab exordio huius Orationis, et ex Catilinaria III. cap. II.

improvisa, si sollicitata, si concitata, si coacta, si impia; si temere, si putide, si inconstanter nomina misit in hoc iudicium per egentissimos testes, ipsa autem nihil queri . . . , de iniuriis potest? Tamen ne, Iudices, hæc ad breve tempus audita longinqui temporis cognitarum rerum fidem derogabunt?

Tenebo igitur hunc ordinem defensor, quem fugit inimicus, et accusatorem urgebo atque insequar, et ultro crimen ab adversario flagitabo. Quid est, Læli, numquid ea . . . .vere . . . dicis? qui quidem non in umbra neque in illius ætatis disciplinis artibusque versatus est. Etenim puer cum patre consule ad bellum est profectus. Nimirum etiam hoc ipso nomine aliquid . . . . asus.[m]

[m] Dimidia columnæ pars abscissa fuit e Codice.

TULLIANÆ ORATIONIS PRO CŒLIO EDITÆ
VARIÆ ALIQUOT LECTIONES
ex uno folio eiusdem Codicis antiquissimi.

Editionis Codicis	Verburgii Editio.	Codex:
Col. I.		
T. I. p. 663. v. 38.	emittendi	eximendi
v. 40.	neque proprium quæstionis crimen . .	(neque proprium (quidem crimen quæstionis
Col. II.		
v. 2.	discessit	decessit
5.	extiterunt	extiterant
9.	abiit	abit
--.	querelæ	querellæ
12.	postea nemini . . .	postea nemini umquam

M. TULLII

M. TULLII CICERONIS

TRIUM ORATIONUM

IN CLODIUM ET CURIONEM

DE ÆRE ALIENO MILONIS DE REGE ALEXANDRINO

FRAGMENTA INEDITA

ITEM AD TRES PRÆDICTAS ORATIONES

ET AD ALIAS TULLIANAS QUATUOR EDITAS

COMMENTARIUS ANTIQUUS INEDITUS

QUI VIDETUR ASCONII PEDIANI

SCHOLIA INSUPER ANTIQUA ET INEDITA

QUÆ VIDENTUR EXCERPTA

E COMMENTARIO DEPERDITO EIUSDEM ASCONII PEDIANI

AD ALIAS RURSUS QUATUOR CICERONIS EDITAS ORATIONES

OMNIA EX ANTIQUISSIMIS MSS CUM CRITICIS NOTIS EDEBAT

ANGELUS MAIUS

BIBLIOTHECÆ AMBROSIANÆ A LINGUIS ORIENTALIBUS.

MEDIOLANI, 1814.—LONDINI, RECUSUM, 1816.

PRÆVIA OPERI DISSERTATIO.

I. CERTISSIMA opinio est, eaque cunctorum vere sapientium confirmata consensu, plurima veteres homines et invenisse sagacius quam nos, et inventa exercuisse felicius, quæ quidem digna visa essent, in quibu soperam ponerent. Quis enim in scriptis Veterum paulisper versatus, non eorum admiratur reconditas litteras, multarum artium disciplinam, sermonis leporem, ingeniorum acumen, dicendi copiam? Græcia quidem iam inde ab heroicis ferme temporibus in omni genere eruditionis excelluit. Serius ad litterarum amorem exarsit Italia: namque ante natum Ennium latina studia pæne conticuerunt. Tum vero paulatim admiranda quædam Scriptorum erupit vis, qui et latinam linguam ad unguem expoliverunt, et omnem elocutionis, amplificationisque ornatum persecuti sunt. Quæ quum ita se habere constaret, ii omnes, qui frugi aliquid præstare cupiebant, studiorum suorum curriculum ad antiquitatis normam semper direxerunt. Quot-

Veterum Scriptorum præstantia.

Eorumdem imitatio.

quot autem aliquando homines nova scribendi dicendique ratio delectavit, iis demum ab eadem antiquate petenda correctio fuit. Quo magis amplector ætatem nostram, quam tantus veterum operum amor invasit. Quippe est nostri sæculi gloria quædam et decus antiquitati apprime studere, velle ipsum succum vetustatis exprimere, formam et artem ex eius lineamentis aucupari, omnes undique eiusdem flores et veneres delibare. Hinc ubique recudendis illustrandisque celebriorum Veterum scriptis docti viri dant operam: hinc bibliothecas sive publicas sive privatas ingenti præstantissimorum voluminum congerie cumulant: hinc amplissima præmia munifici Principes iis decernunt, qui antiquorum hominum gloriam propius æmulantur.

Insignis Codex Bibliothecæ Ambrosianæ.

II. His ferventibus nostrorum temporum studiis, cœpi et ego pro mei modicis ingenii viribus Bibliothecæ Ambrosianæ, in qua versor, pluteos non incuriose rimari. Tullianorum autem quæ nuper edidi Fragmentorum inventione illectus, eo semper spectabam, ut siquid forte pretiosioris thesauri, præsertim Tulliani, in nostris Codicibus adhuc lateret, id meam diutius

cognitionem non effugeret. Et votis iterum Fortuna respondit. Nam magnificus quidam mihi se obtulit Codex, satis grandis membraneus et vetustissimus, in quo latina Concilii Chalcedonensis Interpretatio continetur.[a] Porro hic itidem Liber e famigerato prodiit Monasterio Bobiensi D. Columbani, quumque in Ambrosiana collocaretur, visus est ita antiquus, ut apposita sit ei inscriptio, *hunc Codicem esse prope coætaneum ipsi Consilio Chalcedonensi*, quod medio sæculo V. coactum est. Ego quidem facile concedam, eum Codicem non ad V. aut VI. sed ad VIII. fere sæculum esse referendum. Siquis tamen Chalcedonensis Synodi actus ad hoc annosum exemplar recognosceret, is bene profecto de christiana republica mereretur.

III. Verum nihil hæc pertinent ad id, de quo verba facturi sumus. Ego enim quum oculos de tam venerabili Codice nusquam deiicerem, Est palimpsestus

[a] Del atina Chalcedonensis Synodi Interpretatione antiquissima satis erudite et prolixe Stephanus Baluzius agit (in Tom VII, p. 654. sq. Collect. Concilior. curante Mansio): eamque a Rustico olim Romano, tum a recentioribus præsertim Editioribus paulo liberius emendatam, idem ope cuiusdam Codicis Parisiaci ad pristinam simplicitatem revocare conatur (in eodem Tomo p. 663. cap. XXIX.) Qua quidem in re discernenda Ambrosiani Codicis auctoritas multo gravissima habenda est.

mentem ac manus non continerem, meaque cupiditas tantæ antiquitatis aspectu summe excitaretur, cognovi denique me ad mirificum quemdam alius generis thesaurum devenisse. Nam hic quoque Codex palimpsestus est. Iam prima et antiquior scriptura litteris magnis pulchrisque exarata est, qua tamen si cum alio Codice Ciceronis, quem nuper excudimus, conferas, ampliores forte quidem, sed aliquanto rudiores deprehendes: neque tres, ut in illo priore palimpsesto, sed duas tantum columnas unaquæque pagina habet: quæ paulo sequioris ætatis indicia sunt. Quod igitur in hoc Codice deprehendi Opus, primum quidem sunt trium Ciceronis Orationem Partes ineditæ cum Interprete antiquo item inedito. Tum idem Interpres ineditus in alias quatuor Ciceronis editas Orationes. Primæ mihi cum suis titulis in margine exstantibus occurrerunt Partes Orationis Tullianæ deperditæ IN P. CLODIUM ET CURIONEM, quas ubi, valde evanidis licet litteris, legi, et partem etiam pulcherrimi Commentarii plane stupens percurri; tanto cœpi repente gestire gaudio, ut solem ipsum beatissimum prædicarem, qui erumpentem e tenebris

Prior eius scriptura habet Fragmenta Ciceronis partim inedita cum antiquo Commentario item inedito.

Ciceronem videret. Hac elatus lætitia quum ad unum ex Ambrosianis Doctoribus, qui tum forte aderat in Bibliotheca, venissem, eique nobile Inventum indicassem, ille mihi se quoque Grammatici cuiusdam veteris Adnotationes ad locos aliquot Tullianos ineditos IN CLODIUM in eo iampridem Codice vidisse confirmavit: rem Ambrosianis Collegis consideratione atque editione dignissiman iudicatam, eum autem palimpsestum inter præstantissimos iure optimo haberi.

Exscribitur atque ordinatur prior Codicis materia.

IV. Hac ego doctissimorum hominum auctoritate firmatus, hortatus sum ipse me, ut tam insigne amplumque Κειμήλιον omni diligentia et conatu pervestigarem. Et mea mihi demum sedulitas processit in numerum. Neque enim Orationem tantummodo IN P. CLODIUM ET CURIONEM manifesto detexi, sed aliam DE ÆRE ALIENO MILONIS nunquam antea, quod sciam, inter Eruditos auditam: tum aliam DE REGE ALEXANDRINO, cum optimis ad has Commentariis. Rursus Commentarios eiusdem Interpretis sæpe amplissimos ad Orationes editas Ciceronis PRO ARCHIA, PRO SYLLA, PRO PLANCIO, IN VATINIUM. Hæc, inquam, omnia ali-

quot mensium labore improbo assecutus sum. Quum autem infinitam prope materiam rudi opere congessissem, id mihi scilicet curandum fuit, ut in suas quæque sedes, e quibus antiquitus erant commota, restituerem. Namque is qui Codicem iterum scripsit, incredibili quadam perturbatione folio cuncta commisscuit, materiæque ordinem de libro funditus sustulit. Accedebant ingentes lacunæ, loci difficiles, menda quam plurima: quodque caput est, nova scriptura veteri superiecta tantum facessebat negotium, ut iracundiam ac stomachum in absurdissimum Codicis corruptorem vix continerem. Tum ad extremum ordinata materia, quum eius magnitudinem, præstantiam, splendoremque intuerer, facere non poteram quin eum sapientissimum Virum summis iteratisque laudibus commendarem, a quo tam præclara studiorum adiumenta nobis olim comparata sunt: Federicum dico Cardinalem Borromæum, munificentissimum Mediolanensis Ecclesiæ Pontificem, et omnium temporum celebrandum memoria. Quippe quum duos genuerit Borromæa Gens verissimos Patriæ Patres, Carolum sanctitate, Federicum doctrina ex-

imium, hic mihi tamen suæ Gentis videtur non secundum sed alterum decus.

Fragmentorum Ciceronis præstantia

V. Nunc, ut dicam in primis de amore deliciisque nostris Cicerone, quæso a lectoribus meis ne mihi negent hanc veniam, ut alterum hoc Inventum meum bonis litteris magnopere gratuler, et in Tullii præconia, quæ infinita esse possunt, rursus excurram: cuius disertissimi Viri quum nuper tres Orationes partim omnino deperditas luci, quantum fas fuit, reddiderimus, partim hiantes expleverimus; nunc trium aliarum plane nobis ereptarum non paucas Particulas ab inferis pariter excitamus. Et Orationis quidem IN CLODIUM ET CURIONEM tot Fragmenta deprehendimus, quot fere ad cognoscendum totius Operis cursum sufficiunt. Orationis autem DE ÆRE ALIENO MIMONIS pauciora sane, sed eo pretiosiora, quod huius scripti Tulliani ne memoria quidem, ut dixi, ad nos pervenerat. Qui unus Repertus sufficeret ad ætatis nostræ singularem felicitatem iure ac merito prædicandam. Denique quum Orationis DE REGE ALEXANDRINO unus tantum versus exstaret,[b] nobis et plures Particulæ sunt

[b] V. Monitum a nobis ei Orationi præpositum.

oblatæ, et cum iis quædam lux qua genus huius quoque Tulliani Scripti cognoscamus. Ciceronem igitur denuo tenemus, quo quid, oro, nos melius volumus, aut quid præclarius optamus? Huius ex uberrimis fontibus hauserunt doctissimi quique viri, quibus tamen omnibus ipse præstat elatione ac divinitate orationis suæ. Tullii siquidem eloquentia tum magno cursu sonituque defertur, tum quem florem aut quod lumen elegantiæ non habet? Hoc enimvero Scriptore nihil ornatius apud Latinos ex omni sæculorum memoria cognitum est. Numerosus est verbis, illustris sententiis, exquisitus doctrina, argumentis invictus, ubertate rerum infinitus: nec ulla est ullo in genere laus Oratoris, cuius in Tullianis Orationibus non sit perfectum exemplar.

Ciceronis laus.

Commentarii præstantia.

VI. Quod si Deo visum esset, ut pro his pretiosis quidem sed distractis atque abruptis Ciceronis Fragmentis ipsos integros libros effoderemus, tunc demum omnium Eruditorum gaudium esset cumulatum. Nunc id desiderium sane grave atque acerbum Commentarius copiosus ineditus non parum solatur. In quo quidem Scripto antiquissimo quid vehementius

admirer non dispicio: an latinitatis videlicet puritatem, an elocutionis nitorem an doctrinæ sapientiam, an Interpretis denique in suo officio prorsus perfecti accuratissimam sedulitatem. Huc accedit, quod aliorum quoque aliquot Ciceronis Operum ignoratorum, ut puto, qui nostrum Interpretem leget, notitiam hauriet. Quis ante huius editionem audivit de Opere Ciceronis quod inscriptum fuerit EDICTUM P. RACILII TRIBUNI PLEBIS?[c] Quis de eiusdem Tullii Epistola ad instar voluminis DE CONSULATU SUO AD POMPEIUM?[d] Quis præterea Quintum Marci Fratrem, præfuisse prætorem causæ, quam Marcus dixit pro A. Licinio Archia?[e] Nequid dicam de perutilibus grammaticæ ipsi, orthographiæ, historiæ, et philologiæ locis, quos non incuriosi lectores passim offendent. Nequid dicam de Afranii[f] et Sinnii Capitonis[g] auctoritatibus, quæ semel laudantur. Nequid denique dicam de C. Gracchi nobili Orationis Fragmento, quod in his ipsis Commentariis quasi gemma lectissima

Notitiæ aliquot ex eo nobiliores hauriuntur

Orationis C. Gracchi Fragmentum ineditum.

---

[c] P. 109, 110.
[d] P. 113, 114.
[e] P. 55.
[f] P. 21.
[g] P. 33.

elucet.[h] Quid hoc brevius, dicet aliquis? At quantus Orator! Hoc equidem Fragmentum non solum latinæ linguæ bonitate me delectavit, sed etiam commemoratione famosi hominis et miræ antiquitatis memoria. Osculemur igitur flagrantissimi Tribuni plebis, Scipionum de stirpe geniti, Oratoris ante Tullium natum facile principis,[i] venerandas reliquias, quæ ad aspiciendam ætatis nostræ lucem e sempiternis tenebris emerserunt.

Veteres Ciceronis Interpretes.

VII. Nunc mihi paulo difficilior quæstio commovenda est, cui nimirum Auctori ingens hic et ineditus Commentarius tribuendus sit. Multi quidem veteres Eruditi Orationes Ciceronis scriptis Commentariis illustraverunt, quos inter videtur Tullius ipse auctor, cuius rei vide testes apud Fabricium.[k] Vulcatii Commentarios in Orationes Ciceronis D. Hieronymus memorat.[l] Caprum Agroetius[m] in com-

---

[h] P. 77.

[i] Vide dicta ad p. 76. n. 4. Et in Opere quidem *de Claris Oratoribus* Brutus ait de C. Graccho: "Istum de superioribus pæne "solum lego." Cui subdit Cicero: "Immo plane, inquam, Brute, "legas censeo . . legendus est hic Orator, si quisquam alius, iu-"ventuti."

[k] Biblioth. lat. Ed. nov. T. i. p. 205.

[l] Lib. i. contra Rufinum Edit. Veron. Tom. ii. p. 472.

[m] In Putschio p. 2266.

mentando Cicerone præcipuum vocat: quod recte ne an secus dictum sit, amisso Capro, iudicare non possumus. Et quidem Capri Commentarios D. etiam Hieronymus nominat.[n] Denique Auctor ipse huius quem edimus Commentarii, et Asconius alios Interpretes haud raro indicant Orationum Ciceronis. Sed enim ea cuncta scripta perierunt, præterquam Asconii et cuiusdam Scholiastis anonymi, quorum labores in aliquot Ciceronis Editionibus coniunguntur. Commentarium a me nuper repertum, quia is pariter est anonymus, statim, ut par erat, cum Asconio et cum Scholiaste edito contuli: ac facile sane cognovi, Inventa mea stili elegantia eruditionisque præstantia ad Asconium prorsus accedere, a siccitate autem et duritia Scholiastis vehementer recedere. Quumque præterea viderem, miro quodam eventu Commentarium meum ad eas ipsas Tullii Orationes pertinere, quæ Asconianis adnotationibus iniuria temporis orbatæ essent, in eam protinus sententiam concessi, me Asconii Pediani labores detexisse reliquos, qui magno cum litterarum detrimento iamdiu perierant.

Interpres Anonymus in Codice Ambr. repertus videtur Asconius.

---

[n] Lib. II. contra Rufinum, p. 497.

Editio princeps Partis Asconii Pediani.

VIII. Pediani Commentarius in novem Tullii Orationes Venetiis primum anno MCCCCLXXVII. lucem aspexit. Ea Editio, quam nos ipsi manu tractavimus, nitidissima quidem est, sed lacunis et mutilationibus passim hians. Est autem hæc ad eius calcem epigraphe: "Hæc est pars "Q. A. Pediani cura et diligentia Poggii Flo-"rentini viri litteratissimi reperta in Monaste-"rio S. Galli prope constantiam XX. millibus "passuum: et ab ipsius Poggii exemplaribus "a me A. Iu.° transcripta ac Venetiis per Ioan-"nem de Colonia Sociumque eius Ioannem "Marthen de Gerretzen impressa." Celeber-

Poggius Partis Asconii Inventor.

rimorum Poggii Inventorum, quum is in Constantiensi Concilio (quod ab anno MCCCCXIV. ad MCCCCXVIII. celebratum est) versaretur, in eiusdem Vita, quæ Historiæ Florentinæ ab eo conscriptæ præponitur, luculenta memoria est.[p] Iam de reperto a se Pediano Poggius ipse in quodam Codice Valerii Flacci[q] testis est. Hæc enim in eo sua manu exaravit: "Hoc Frag-

---

[o] Maittaire Annal. Typogr. Tom. IV. P. 1. p. 375. male edidit A. Lu.

[p] V. Thesaur. Antiq. et Histor. Ital. Tom. VIII. P. 1. in Poggii Vita cap. VI.

[q] V. Opus in nota 2. laudatum Tom. VI. P. 3. in Antenore Pignorii p. 80.

"mentum (Flacci) repertum est in Monasterio "S. Galli prope Constantiam xx. millibus passuum, una cum parte Q. Asconii Pediani. "Deus concedat alteri, ut utrumque Opus reperiat perfectum: nos quod potuimus egimus. *Poggius Florentinus.*"

Laudes Asconii, et scriptorum eius magnam partem deperditorum desiderium.

IX. Asconii scripta cum miris laudibus docti homines semper extulerunt, tum eorumdem magnam partem amissorum infinito desiderio flagraverunt. Auctor Parisiacæ Editionis anni MDXX. hæc præfatur: "Ex omnibus qui Commentaria[r] in libros Ciceronis scripserunt, "nusquam non celebrantur doctissimi ac diligentissimi duo, Asconius Pædianus et Fab. "Victorinus. Sed Pædianus ut ætate prior, "ita doctrina longe superior. Scripserat quidem is elegantissimas ac doctissimas Enarrationes in Orationes aliquot M. Ciceronis, quibus multa Veterum instituta nostris ignota "temporibus pulcherrime ac doctissime expli-

[r] Quæ hic Scriptor dicit *Commentaria*, nos in nostra Editione dicimus Commentarius. Duplex enim terminatio et genus huius nominis. Notat tamen Isidorus in *Differ. Verbor.* "Inter *Commentarios* et *Commentaria* hoc interest, quod Commentarii libri, *Commentaria* volumina dicuntur." Ita etiam nonnulli scribunt *Pædianus*, quia apud Suidam legitur Παιδιανὸς: sed longe communius vidi usurpatum *Pedianus* sine diphthongo.

" cabantur. Adnotaverat et multa ad latinæ lin-
" guæ proprietatem pertinentia, e quibus non-
" nulla etiam in libros elegantiarum Laurentius
" (Valla) transtulisse existimatur:[a] utinamque
" non transtulisset modo, sed omnia etiam
" cum pulvisculo, ut dicitur, converrisset! Ne-
" que enim eruditissimum Opus cuius umbram
" vix adhuc tenemus, nostra hæc ætas deside-
" raret." Franciscus item Asulanus in præsa-tione Aldinæ Editionis anni MDXXII. sic loqui-tur: " Fuit Asconius ut suorum temporum
" eruditissimus, ita totius antiquitatis, et Cice-
" ronis præsertim studiosissimus. Atque uti-
" nam ad nos integer pervenire potuisset! ut
" quæ in ipsis orationibus perlegendis aliquid
" lucis requirere videntur, ab homine doctis-
" simo illustrarentur, et non a quibusdam nos-
" tris hominibus insulsa quædam in eas, et pue-
" rilia conscriberentur." In Editione etiam Parisiaca anni MDXXXVI. in qua iam nitidior fluit Asconius, is ita ab Ioanne Lodoico com-

[a] Nihil Asconio suffuratum hac in parte Vallam docet post alio-plures Christophorus Poggialus in Opusculo italico *de Vita et Scriptis Laurentii Vallæ,* p. 122. Ceterum ex Asconii Comment-ariis excerpta quædam ad rem grammaticam pertinentia vide in Auctoribus latinæ linguæ a Dionysio Gothofredo collectis Edit. anni MDLXXXV. p. 1362—1364.

mendatur: "Hæc Asconii Fragmenta, quanvis "exigua et lacera, quæ nobis reliqua tanquam "ex naufragio supersunt, abunde et plane, "quod aiunt, leonem ex unguibus ostendunt. "Quæ cum legimus, reliquarum eius accuratis-"simarum lucubrationum summo desiderio non "teneri non possumus. Quippe qui hæc ipsa "qualiacumque adhuc fuerunt, adeo necessaria "intelligamus, ut sine iis multa antiqui moris "instituta, Ciceronis loci non pauci obscuri-"ores intelligi nequeant. Ac vehementer er-"rare eum sit necesse, qui Pædianum non fue-"rit secutus. Quanto bono Ciceronianæ lec-"tionis studiosis esset, si nobis hic integer di-"vinitus aliquando tandem daretur! quod ut "in ceteris est Veterum monumentis deploran-"dum, sic in hoc vel maxime." Denique laudes Asconii in præfatione, quam ei præmisit, fuse persequitur Franciscus Hotomannus, qui cunctos Editores in hoc Scriptore emendando declarandoque longe superavit.[t]

---

[t] Obiter hîc moneo me Editiones octo Asconii tractasse. Principem Venetam anni MCCCCLXXVII. Proximam huic Patavinam MCCCCLXXXXIII. Parisiacas MDXX. et MDXXXVI. Aldinam MDXXII. Lugduni Batav. MDCLXXV. Denique in Operibus Ciceronis Amstelædamensem MDCCXXIV. et Patavinam MDCCLIII.

Partis Asconii editæ Codices duo in Ambrosiana.

X. Operum Pediani editorum Codices omnino duo in Ambrosiana servantur, alter H. 100. part. inf. chartaceus, cum aliquot foliis etiam membraneis, qui sine dubio ante medium sæculum xv. conscriptus est, præposita epigraphe: "Hæ sunt quædam glossulæ "super Orationibus Tullii antiquitus factæ, "nuper in Concilio Constantiensi repertæ." Alter item chartaceus I. 91. part. sup. cuius in calce hæc leguntur: "Reliquum deest, nec "amplius reperitur, nisi in futurum emergat, "quod utinam fiat! Repertum fuit in Synodo "Constantiensi. *Codex scriptus anno* 1475. *a IO. NY.*" Ergo noster uterque Codex Operum Pediani editorum principe Editione antiquior est. Iam hos ego Codices cum antiquis editionibus contuli, quibuscum ita consentiunt, ut ea scripta æquum est, quæ ab uno et vicino fonte, nempe a Poggii exemplari dimanarunt. Nullus igitur ope horum lacunosus locus expletur, nulla fere emendatio speranda est. Ordo autem Commentariorum idem est in his Codicibus atque in editionibus primis: qui nunc tamen iam inde usque ab Aldina Editione ad ordinem Operum Ciceronis accommodatus est.

XI. Iam ego quibus momentis inductus Asconium me in Ambrosiano palimpsesto invenisse arbitrer, breviter exponam. Id autem priusquam adgrediar, magnum huic sententiæ pondus afferam Ambrosianorum Doctorum auctoritate citata. Namque his quum ego mea de Asconio nuper a me reperto argumenta perpendenda proponerem, hoc ab ipsis gratissimum responsum retuli: ea idcirco probabiliora videri, quod olim suspicio aliqua oborta esset Asconium forte in Ambrosianis Codicibus latitare. Sed enim ante recognitam exscriptam et ordinatam huius, de quo agimus, Palimpsesti materiam elucere nondum res poterat. Nunc vero quum tanta pars Commentarii in publicam lucem emerserit, quantam ne præteritæ quidem Editiones complexæ fuerant; ex accurata utriusque Operis collatione, de vero Auctore inediti Commentarii satis prababiliter coniectare iam possum. Coniecturæ autem meæ hæc fere capita sunt.

Proferuntur argumenta ob quæ Anonymus Interpres in Ambrosiano palimpsesto repertus videtur Asconius.

1. Elocutionis et stili genus mihi prorsus idem videtur in Codice inedito atque in Asconii editionibus, purum videlicet utrobique, pressum, simplex, nitidum, elegans, et argentea immo aurea ætate dignissimum.

2. Methodus ipsa et materia Commentarii eadem est in Codice inedito atque in Asconii libris impressis. Utrobique siquidem præponitur Argumentum historicum et satis eruditum Tullianæ Orationis. Utrobique mira perspicuitate et brevitate loci obscuri enucleantur, sensus grammatici aperiuntur, historia temporum tangitur, multorum hominum vitæ et munera: tum leges, mores, consuetudines præsertim urbanæ et iudiciorum perpetuo describuntur.

3. Tam ex editis quam ex Codice inedito apparet, Auctorem Commentarii posteriorem quidem aliquanto esse ipso Cicerone, sed brevi intervallo. Adeo multa in utrisque narrantur seu minuta seu recondita, quæ nonnisi ab eo, qui iis rebus ætate esset proximus, resciri potuissent.

4. Mos est Asconii satis frequens provocandi ad paulo ante a se dicta. Idem sæpe facit noster Interpres.

5. Ad Orationem *in Vatinium* Editionis nostræ p. 122. indicat omnino Interpres se scripsisse in Orationem quæ hanc præcederet, nempe in *Sextianam*, quæ, ob ipsam materiam,

Vatinianæ præponitur. Iam vero putatur Asconius commentatus fuisse in omnes fere Ciceronis Orationes.

6. In Codicis Commentario ad Orationem pro Plancio Editionis nostræ p. 99. satis significat Auctor se scripsisse in Verrinas. Tum ad Orat. *in Vatinium* p. 122. ait, sæpe se fecisse mentionem legum Æliæ et Fufiæ. Iam vero in Verrinas scripsit Asconius, ut in editionibus videre est. Tum legis Fufiæ meminit revera in Verr. *de præt. urb.* cap. XLII. Æliæ et Fufiæ *contra Pison.* cap. IV. Plures alias congruentias inter Asconium editum et Commentarium ineditum suis locis infra notamus; ex. gr. ad Orat. editam *pro C. Cornelio* scribit Asconius: " Hic est Cotta, de quo iam sæpe " diximus." Et revera apud Interpretem etiam nostrum dicitur de hoc Cotta ad Orat. *in Clodium et Curionem* Edit. nostræ p. 26. Tum ad editam Orat. *in Pison* cap. XV. dicitur: " P. " Clodii App. Claudius, sicut iam sæpe signi- " ficavimus, fuit Frater." Fit autem eius rei mentio etiam apud Scholiastem a me nuper editum ad Orat. *pro Scauro* p. 8. quæ mihi item Adnotationes Asconianæ putæ videbantur.

7. Ad Orat. editam *pro Milone* cap. v. scribit Asconius: "Illud vos meminisse non dubito, per Q. Fusium (seu Fufium) illo quoque tempore, quo de incestu P. Clodii actum est, factum, ne a senatu asperius decerneretur." Quo loco videtur Asconius provocare ad ea quæ dicta sunt in Argumento Orationis *in Clodium et Curionem* Editionis nostræ p. 11.

8. In Commentario edito ad Orat. pro Milone cap. XXXII. ait Asconius putare se iam significasse legem, quam Clodius ferre proposuerat de suffragio libertinorum. Iam vero ea narratio nusquam occurit in Asconio edito, legitur autem apud nostrum Interpretem ad Orat. *de ære alieno Milonis* p. 39. videri Clodium eam legem fuisse laturum.

9. Item in Commentario edito ad Orat. *in Pison.* cap. x. scribit Asconius se iam dixisse, L. Lamiam a Gabinio Consule edicto relegatum esse. Id autem quum frustra quæsiveris in Asconio edito, occurret tibi apud Interpretem nostrum ad Orat. *pro Plancio* p. 115.

10. Incommoda ipsa, quibus tum editus Asconius, tum Interpres noster ineditus laborant, eiusdem generis sunt. Uterque enim iniuria

temporum et scribarum incuria male habitus est. In utroque sunt lacunæ modo verborum, modo sententiarum. In utroque non raro Commentarius est acephalus aut mutilus. Quare in emendando aut declarando Pediani textu strenuam operam posuerunt doctissimi viri Gulielmus Budæus, Lodoicus Alvarus, Paulus Manutius, Carolus Sigonius, Andreas Patricius, Franciscus Fabricius, Petrus Nannius, Petrus Danesius, T. Popma Phrysius, Iacobus Cruquius, Thomas Crenius, sed præcipuus inter alios Franciscus Hotomannus, quorum pæne omnium Adnotationes Editioni Asconii Lugd. Batav. anni MDCLXXV. subiunguntur. Quantam medicinam nostro Codici inedito nos fecerimus, ex Notis nostris patebit. Denique tum in calce Parisiacæ Editionis anni MDXX. tum ab Andrea Patricio in Edit. Lugd. Batav. p. 284. monemur Asconii verba ægre interdum in Codicibus a Ciceronis verbis distingui. Id mihi quoque, dum Codicem exscriberem, haud raro molestiam et perplexitatem creabat.

Concluditur Asconium videri prorsus inventum in Ambrosiano palimpsesto.

Asconius igitur prorsus a nobis iudicatur noster Interpres, tum propter has omnes coniecturas, tum præcipue ob octavam et nonam. Iam si sua cuique Scriptori natura est, suus

cuique color ac pæne vultus; nihil autem editus olim Asconii textus, ab eo qui primum nunc editur, differre videtur; reliquum est, ut nos deperditas Asconii Partes magno Dei beneficio deprehenderimus. Quumque ad IX. tantum Tullii Orationes Commentario Asconii uteremur, nunc iam XVI. ab eo illustratas legamus: quas inter Orationem *pro Scauro* nova parte Commentarii iam instructam.[a] Immo quum Scholia, quæ ad Catilinariam quartam, Marcellianam, Ligarianam, et pro rege Deiotaro infra addemus, eodem ferme iure Asconiana possint haberi; XX iam Ciceronis Orationes Interprete suo, quo mirifice gaudent, Asconio exornantur.

Immo eiusdem Auctoris minores partes item ineditas in aliis duobus Ambr. MSS.

Quo tempore Asconius vixerit.

XII. Quoniam Asconium me invenisse, si non omnino indubium, certe verisimile comprobavi, sequitur ut de Asconii ætate nondum satis inter Criticos constituta paucis disseram: ut hoc etiam Lectores nostri cognoscant, quantæ scilicet antiquitatis Auctorem in lucem nos emittamus. Asconii Pediani, eius certe qui in Orationes Ciceronis commentatus est, ætas patet

---

[a] Vide Editionem trium Orationem Ciceronis *pro Scauro,* etc. Præf. p. XII. et Monitum præpositum eidem Orationi *pro Scauro.*

omnino ex eius Adnotationibus olim editis ad Orat. *pro Scauro*, ubi de Scauriana domo hæc ait: " Possidet eam nunc Longus Cæcina, qui consul fuit cum Claudio."

Nota in primis, in Asconii textu scribendum *Largus* pro *Longus:* quamvis etiam duo Codices Ambrosiani habeant *Longus*, quod mirum non est, siquidem exemplaria omnia ex uno apographo Poggii (qui et hunc errorem forte invexit) profluxerunt. Porro *Largus*, non *Longus*, Cæcina consul fuit cum Claudio Imp. et Cos. II. anno U. C. DCCXCV. Et quidem *Largus* habent Dio ad hunc annum, cum Notis ibi adiectis in Edit. Hamburgensi MDCCL—MDCCLII. qua nos semper utimur. *Largus* item habet lapis Neapol. apud Gruterum CXVI. 5. Spanhemius de usu numism. Tom. II. p. 9. sq. Baronius cum Nota adiecta Tom. I. p. 289. (quem frustra in hoc reprehendit Pagius). Item Norisius epist. Consul. in apparat. ad Baron. p. 153. Pighius, Tillemontius, Panvinius, Mediobarbus, et Gussemius Dictionar. numis. T. II. p. 21: tum Sigonius ita emendat in Continuat. Fastorum, apud quem et alii Auctores: tum denique Lipsius ad Tacit. An-

Emendatur locus Asconii, ex quo eius ætas eruitur.

nal. xi. 33. Si ergo Largus Cæcina qui fuit consul cum Claudio possidebat Scaurianam domum, cum Asconius scribebat in Orationem pro Scauro, sequitur Asconium æqualem fuisse Cæcinæ et Claudii Imperatoris.[a] Atque ego quidem satis luculenter asserui scribendum in Asconio *Largus* pro *Longus*. Ceterum ea emendatio ad rem quidem nostram non omnino est necessaria. Ad Asconii enim ætatem cognoscendam sufficit, cum Asconius scribebat vixisse adhuc Cæcinam, quicumque is fuerit, qui Consul fuit cum Claudio. Id cum diserte ex loco Asconii etiam non emendato eruatur, iam eius ætatem in Claudii tempora incidisse per se patet.

Falsum Iusti Lipsii dictum.

Sed tamen Lipsius ad locum Taciti paulo ante laudatum nonnulla ait, quæ mihi ad ætatem Asconii certo definiendam, disquirenda diligenter sunt. Narrat Tacitus timuisse Narcissum, ne Claudius Imp. a P. Largo Cæcina

---

[a] Cæcinæ Largi domum nominat etiam Plinius Hist. Lib. xvii. Cap. i. qua in domo illum, se iuvene, quasdam arbores ostentare solitum narrat. Iam Plinius sub Claudio Imp. stipendia. fecit. Bene ergo Plinii inventa incidit in Asconii senectam. Asconium vero scripsisse in Orationes Tullii iam senem patet infra ex hac dissertatione, et ex ipso Asconio ad Orat. *pro Milone* cap. v. " Quid sit *dividere sententiam*, ut enarrandum sit, vestra ætas, " facit . . . . Sed ego, ut curiosius ætati vestræ satisfaciam etc.

mutaretur, quominus de Messalina coniuge impudicissima pœnas sumeret. Ibi autem Lipsius sic commentatur: "P. Largus Cæcina frater, opinor, C. Cæcinæ Largi, qui consul cum Claudio fuit anno Urbis DCCXCV. et in consulatu interfectus. Quem intelligit Asconius in pro M. Scauro: *Scauri domum possidet nunc Longus Cæcina, qui consul fuit cum Claudio.* Scribe *Largus*, et disce hinc quæ Asconii certa ætas."

At, pace tanti viri, quomodo scripsisset Asconius, *Scauri domum possidet nunc Cæcina qui consul fuit cum Claudio;* si Cæcina in consulatu interfectus fuisset? Qui interfectus fuit, haud plane nunc possidet. Negat igitur Asconius interfectum in consulatu Cæcinam. Scrutanti autem mihi unde Lipsius falsam notitiam hauserit Cæcinæ in consulatu interfecti, occurrit denique locus olim corruptus in Dione LX. 16. ad annum Urbis DCCXCV. ubi Arriæ facinus enarratur, quæ maritum Cæcinam Pætum mori iussum a Claudio, ad necem sibi fortiter consciscendam confirmavit: arrepto quippe gladio se ipsa graviter sauciavit, viroque eum porrigens: *en Pæte*, inquit, *non dolet.* Ad eum, Emendatur.

inquam, locum quidam Veteres pro γυνὴ Καικίνου Παίτου *uxor Cæcinæ Pæti*, legerunt γυνὴ Καικίνου ὑπάτου *uxor Cæcinæ consulis.* Sed eum errorem sustulerunt iampridem doctissimi viri, quos vide ad eum locum Dionis. Et quidem Arriam uxorem Pæti diserte dicunt Martialis Epigr. 14. Lib. I. Plinius Epist. XVI. Lib. III. Fuit autem Pætus in partibus Scriboniani, qui arma in Illyrico contra Claudium movit, ut narrat Plinius loco citato, et hoc ipso anno U. C. DCCXCV. periit, ut scribit Dio. Igitur Largus Cæcina qui Consul fuit cum Claudio vivebat post consulatum, scribente Asconio. At enim consularis nuncupatur apud Plinium Epist. cit. etiam Pætus: fateor. Sed neque huius (qui quidem sub Claudio obierit) consulatus occurrit in fastis, neque id mea quicquam refert, cui ad ætatem Asconii ex Asconio ipso definiendam satis est et Cæcinam fuisse consulem cum Claudio, neque eumden in consulatu interfectum, sed superstitem dum Asconius scriberet.

Asconius Ciceronis Interpres Virgilium loquentem audivit.

Sequitur quærendum num Asconius Ciceronis Interpres idem sit, a quo Philargyrius ad Virgilii Eclogam III. v. 105. ait auditum Virgilium loquentem. Virgilius quidem obiit anno

U. C. DCCXXXV. Asconius scribebat post consulatum Cæcinæ, nempe non ante annum DCCXCVI. Intercedunt ergo anni saltem LXI. Fingamus Asconium natum fuisse annos XV. cum Virgilium loquentem audiit, anno forte ante eius obitum: ita Asconius natus fuisset annos LXXVII. cum in Scaurianam Orationem scribebat. Quod a fide nihil abhorret. Hinc autem constat multo magis Asconium potuisse audire Gallum fratrem Salonini, filium Asinii Pollionis narrantem, quartam Eclogam a Virgilio in honorem suum factam, ut refert Servius (si locus est sincerus) ad Ecl. IV. V. II. in Ed. Burmanni. Tum etiam versari cum T. Livio, qui quidem ab Asconio ad Orat. pro *C. Cornelio*[a] dicitur *Livius noster*. Si tamen is locus de familiaritate potius Asconii cum Livio, quam de communi patria Patavio intelligendus est.

Et Gallum, adeoque etiam Livii familiaris esse potuit.

Sed enim D. Hieronymus in Chronico Eusebiano ad annum septimum Vespasiani scribit: "Q. Asconius Pedianus scriptor historicus "clarus habetur, qui LXXIII. ætatis suæ anno "captus luminibus, XII. postea annis in summo

Constitutæ superius Asconii ætati contradicit Chronicon Eusebianum.

[a] Asconii Edit. Lugd. Batav. anni MCLXXV. p. 138.

"omnium honore consenescit." Id si vere diceretur, Asconius nec Virgilium audivisset, a cuius obitu ad septimum Vespasiani annum intercedunt anni LXXXXIII; nec annos natus LXXVII. scripsisset, quoniam oculis iam captus fuisset. Chronici Eusebiani auctoritate commoti duos Asconios effinxerunt Scaliger ad Eusebii Editionem priorem Animadv. p. 183, 184, et Vossius de Historic. lat. Lib. I. Cap. 27. Sed longe rectius (inquit Fabricius Biblioth. lat. Ed. Nov. in *Asconio*) Hieronymum metachronismi arguisset olim Scaliger, quod facere non dubitavit Io. Harduinus ad Plinium (in Indice Auctorum Tom. I. p. 54) et Scaliger ipse in altera Eusebii Editione (p. 200.)

Obiter Fabricii dictum de Asconii ætate expenditur.

Quod vero ait ibi Fabricius p. 65, 66. in *Asconio* (ut ne ego id quidem hîc prætermittam) videri Quintilianum fuisse auditorem Asconii, quia Inst. 1. 7. ille scribit, se ex Pediano comperisse Livium usum esse vocabulis *sibe et quase;* id per se forte rem non probat. Eam enim notitiam tam ex audito quam ex lecto Pediano Quintilianus potuit comperire: licet vis vocabuli *comperire* Fabricianæ opinioni magis faveat. Ceterum Quintilianus Inst. x. I. dicit

se vidisse inter disertos Domitium Afrum, qui quidem sub Caio anno DCCLXXXXII. fuit consul suffectus, et quem Eusebius in Chronico narrat ad annum primum Claudii clarum oratorem et sub Nerone mortuum. Ergo Quintilianus adolescens Asconium quoque iam senem potuit audire loquentem.

Locus Chronici Eusebiani, ut plane incertus, reiicitur.

Sed ut redeam ad difficultatem ex Hieronymo petitam, eam prorsus ego disiecerim, si illum Hieronymi textum nullius firmitatis esse probavero. Ad eum quippe locum in Editione novissima Veronensi Tomo VIII. p. 681. hæc adnotantur: " Huic prænomen est singulari Q. " littera, quam Pontacus explicat *Quirinus*. " Sunt etiam qui *Ausonium* pro *Asconio* legant: " nec Pediana ipsum cognomentum aliis atque " aliis ποικιλογραφίαις caret. Putare itaque ma-" lim alium (scriptorem) a celebri Asconio Pa-" tavino, qui Virgilii familiaritate usus est, Phi-" largyrio teste, heic abs Hieronymo indicari. " Adeo nec oportere aut duos cum Scaligero " Asconios comminisci, ut temporum ratio con-" stet (alioqui Virgilio familiaris diceretur, qui " annis fere viginti ab eius morte natus demum " fuisset) aut de tot annorum metachronismo,

"ut idem Scaliger in secundis Curis, et Harduinus ad Plinium faciunt, Hieronymum incusare. Ignotus hic nobis est re et nomine Auctor, *Q.* sive *Quirinus* et *Squirinus: Asconius,* sive *Ausonius,* et *Pasconius,* et *Ascodius,* et *Squascodius* etc. ita enim veteres libri variant." Pontaci autem in hunc locum Chronici Notam, ex qua hæc fere sunt eruta, vide sis in Apparatu ad Chronicon Tomi eiusdem p. 263.

Vossii quoque sententia de Asconii ætate reiicitur.

Superest excutienda sententia Vossii qui[a] ex Suida voc. Ἀπίκιος et Ἀσκώνιος, quibus in locis dicitur Asconius ventitasse ad mensam M. Apicii cum Iunio Blæso; notat recentiorem ætatem Asconii, quoniam Iunius Blæsus omnino, ut ait, sit ille, qui Galbæ et Vitellii temporibus vixit, et quem Tacitus I. II. et III. libr. Histor. memorat. Sed vir ceteroqui doctissimus hîc mihi falsus videtur, non considerato satis Suida. Namque in voc. Ἀπίκιος Μάρκος dicit Suidas Asconium ivisse ad cœnam cum Iunio Blæso, quum hic esset consul cum Lucio: mensam autem fuisse M. Apicii. Iam vero Iulius Blæsus

---

[a] De Historic. lat. Lib. I. Cap. 27.

consul suffectus fuit cum Lucio Tiberii anno decimo.[a] M. autem Apicius is est, quem nominant Dio LVII. 19. Tacitus Annal. IV. I., et quem Athenæus Lib. I. p. 7. diserte ait sub Tiberio vixisse. Cur ergo respexit Vossius ad Blæsum minorem in Historiis Taciti nominatum, neque umquam, quod meminerim consulem appellatum, potius quam ad superiorem, Seiani avunculum, potentia prævalidum, Africæ proconsulem,[c] quodque magis ad rem facit, consulatus honore insignitum?

De unici Asconii ætate conclusio.

Unus est igitur Asconius, idemque Ciceronis Interpres, Virgilii et Asinii Galli auditor, Livii

[a] V. Art de vérifier les Dates Tom. I. p. 351. et Murator, Annal. Ital. Porro hoc anno Urbis DCCLXXVI. Tiberii decimo Consules ordinarii fuerunt *Asinius Pollio* et *Antistius Vetus.* *Antistio* prænomen *Caii* plerique, præter Blanchinium, tribuunt: sed *Lucium* fuisse apparet ex lapide apud Muratorium Nov. Thesaur. Inscrip. CCCI. 4. Quo loco doctissimus Muratiorius hæc notat: "Non est "corrigendus Blanchinius, quod *Antistio Veteri* prænomen *Lucii* "tribuat. Immo reliqui corrigendi, qui *Caium* illum appellant. "Pluris quippe est in hisce rebus auctoritas unius antiqui indubi- "tati lapidis, in quo firma semper est scriptura quam Codicum, "quorum fortuna obnoxia est erroribus librariorum ac typographo- "rum, quibus facile fuit ex vicinitate formæ L. et C. unum pro altero accipere, et *Lucium* in *Caium* immutare." Habemus igitur hoc anno consulem *Lucium.* Adde quod Frontinus *de Aquæductibus* (Edit. Plantin. 1607. Lib. II. p. 119,) habet consules *L. Martium* et *Antistium Veterem. Lucius* autem *Martius* fuit quidam suffectus.

Iunius Blæsus fuit item consul suffectus hoc anno, ut constat ex lapide nuper laudato apud Muratorium, ex quo lapide etiam videtur suffectus Blæsus kalendis Iuli. En igitur Iunium Blæsum consulem cum Lucio, ut Suidas ait, et quidem sub Tiberio, quo tempore vivebat ille M. Apicius, ut diximus.

[c] Tacit. Annal. III. 35.

familiaris, et circa tempora Claudii Scriptor clarus. Quia vero locus Hieronymi, in quo Asconius historicus nominatur, plane incertus est, haud scio an is iure a Vossio inter latinos historicos recenseatur, nisi forte ob Sallustii Vitam, quam ab Asconio conscriptam indicat Acro ad Horat. Satyr. ii. v. 41. Lib. 1. Nequid dicam de Libello cui titulus *de Origine Gentis romanæ*, quem Asconio perperam quidam tribuerunt: quorum sententia nec a Fabricio probatur in *Asconio*, atque ab ipso Auctore Libelli repellitur, qui in exordio Operis nominat decimum consulatum Constantii, cuius ætas immane quantum ab Asconiana, quam statuimus, abest.

De ætate prioris scripturæ in duobus palimpsestis Bibliothecæ Ambr.

XIV. Quoniam de Asconii ætate pro viribus egi, restat ut aliquid dicam de priore duorum palimpsestorum scriptura, in quibus ego inedita tum Ciceronis Opera deprehendi, tum etiam Asconii, ut gravibus argumentis me comprobasse confido. Nam de tertio Codice sæculi x. e quo alia quædam scholia, Asconiana pariter, ut puto, exscripsi, infra agam in Monito, quod eis præponam. E primo quidem palimpsesto ea Scholia erui, quæ Partibus a me nuper editis

Orationis *pro Flacco* subiiciuntur. De cuius Codicis ætate, quum eam tunc sententiam protulerim,[a] cuius nondum me pœnitet, nunc aliquid mihi explicatius disputandum est. Qua ego disquisitione utrumque una palimpsestum complectar, priorem nempe, in quo partes continuæ Ciceronis cum Scholiis, et alterum in quo Partes abruptæ cum Commentario. Ego igitur sic fere iudico, prioris Codicis primam scripturam, quod iam indicavi,[b] ad II. aut III. sæculum; alterius primam item scripturam ad IV. aut V. sæculum pertinere.

Antiqua Orthographia utriusque palimpsesti.

Duo autem præcipue in his Codicibus observanda sunt. orthographia nimirum et Calligraphia. Et Orthographia quidem eadem prope est in utroque Codice: siquidem utrobique fere videas hæc antiquitatis vestigia: *adulescentia. aliqui* pro *aliquis. aliut. aput. auris* pro *aures* et similia. *cetera.* pro *cætera. Clodi* pro *Clodii* et similia, sed non semper. *epistula. exolare. illut. idem* pro *iidem. isdem* pro *iisdem. is* pro *iis. inlatus* et similia. *intellegere* pro *intelligere, kaput. karitas. nequi* pro *nequis. optinere* pro *obtinere* et similia. *pervolgare. quamtus. querella. quom.*

---

[a] In Edit. nupera Fragm. Cicer. præf. p. XII.
[b] Loco nuper citato.

quotiens. totiens. relicum. scribtus. temptare et similia. *tribunos* pro *tribunus. voltus.* unam u. eamq. vocalem. numquam i longam. In Codice secundo litteræ quoque compendiariæ pro verbo collocatæ duobus punctis includuntur sic v. gr. ·P· et quidem supra litteræ medietatem, quæ tamen noster typographus in Libro ad litteræ pedem impressit. Gemina puncta in schedis Vaticanis, e quibus editum est Livii Fragmentum, etiam Cl. Iuvenatius observavit.[h] Idem Iuvenatius iam monuit[i] propter multa menda quæ forte occurrant, non esse retrahendas ad sequiorem ætatem membranarum scripturas, quandoquidem multa monumenta vel antiquissima mendis scatent. Et Livianas quidem schedas emendatiores nostris Codicibus dicere quis ausit?[k]

Calligraphia prioris palimpsesti.

Calligraphia tamen nostri duo Codices non parum inter se differunt. Nam prioris non solum pulchra est, sed prope ad lapidarium typum exarata. Quæ scriptura ut absolutius cog-

---

[h] Edit. Neap. anni 1773. p. XLIII. "quod valde, inquit, notandum "est: nec enim alibi huius moris exempla, nec in scriptis libris, "nec in veteribus lapidum, aut æris tabulis observare memini." At ego huiusmodi puncta vidi non solum in hoc Codice, sed etiam in alio item latino Sæc. XII. V. Specimen Characterum in fine libri nostri N. VI.

[i] Pag. LXXX.

[k] Conferatur tabula emendationum Fragmentii Liviani p. XXXV. XXXVI.

noscatur, eius omnes litteras in libri calce excusas exhibemus. Et quidem littera A sine lineola transversa occurrit in schedis Livianis. in Virgilio Vaticano quem Schelstratus adiudicavit sæculo Septimii Severi,[f] in Virgilio Mediceo et in Inscriptionibus sepulchri Pompeiani nuper ab eruditissimo Millinio editis,[g] aliisque plurimis monumentis antiquissimis. E et F cum lineolis brevissimis in Virgil. Vatic. in sepulchr. Pomp. Item G. cum virgula inversa brevissima in papyro latina Herculanensi,[h] in Virg. Vatic. Vide etiam Dissertationis Isagog. ad Hercul. Volum. P. 1. Tab. VII. 7. Formam adspiratæ H notabis similem, quamvis inelegantiorem, in papyro Hercúlanensi latina. L et F excedunt superiorem versûs lineam, ut in schedis Livianis, P parvo cum capite, et quidem aperto ut in Virg. Vatic. et aliis sæpe antiquis monumentis. I cum brevi linea superiore ut in Virg Vatic. papyr. lat. Hercul. alibique. V linea sinistra inclinata ut in papyr. lat. Hercul. Virg. Vatic. et Mediceo, sed in nostro codice est longe elegantior hæc littera.

---

[f] V. Præf. ad Virgil. Vatic. p. IV. [g] Neapoli 1813.
[h] Herculan. Volum. Tom. II.

Ætas scripturæ textûs in palimpsesto priore.

Dicam igitur quod Iuvenatius de suis schedis Livianis [c] Facit, ut in Antoninorum ætatem incidisse huius prioris Codicis primam scriptionem iudicem, ipsa in primis litterarum, quibus exarata est conformatio ac concinnitas. Immo concludam ut idem Iuvenatius de suis Livianis [d] "Siquis veterum librorum, quæ cir-" "cumferuntur, litterarum specimina cum his" "schedis componat, tum quæ de illorum ætate" "docti viri, atque in antiquitate investiganda" "diu multumque versati scriptis mandarunt," "animo reputet; ei non tam, quemadmodum" "Antoninorum temporibus conscriptas istius" "modi schedas fuisse approbet, quam que-" "madmodum non longe ante conscriptas ap-" "probet, laborandum esse."

Et scripturæ scholiorum in eodem priore palimpsesto.

Iam scholiorum huius prioris Codicis duplex scriptura est, altera fere quadrata, altera rudior. Illa quidem ipsa textûs scriptione vix recentior videtur, alteram sequiorem esse aliquanto haud gravate concedam. Nihil autem vetat, quin putemus, hæc, scholia, licet antiquissima, ab amanuense paulo recentiore scripta in Codice fuisse, ita ut neutra tamen scriptura scholiorum sæculo IV. aut V. posterior sit.

---

c P. LXXX. d P. LXXXV.

Alterius Codicis priorem scripturam ne sæculo v. seriorem pronunciem, moveor primum auctoritate antiqui Censoris codicis Ambrosiani, qui secundam huius scripturam (quam solam ipse vidit) putavit prope coætaneam Chalcedonensi Concilio. Hanc ego quidem ad vii. aut etiam viii. sæculum pertraho: verum inter primam et secundam superinductam tantum interest, ut si tria sæcula intercedere dicam, moderate, immo parum me dixisse arbitrer. Reapse scriptura, de qua nunc agimus, Fragmentorum vii. Orationum Ciceronis cum commentario, adeo et ipsa spatiosa est, adeo pulchra, quodque gravius momentum est, adeo priscam orthographiam exprimit, ut serior sæculo v. iudicari omnino non possit. Ne prolixus sim (in tanta præsertim exemplorum copia) si conferatur papyrus ægyptiaca, quam Maurini ediderunt,[b] et cuius scripturam sæculo vi. seriorem negant esse dicendam; patebit luce meridiana clarius scripturam priorem nostri Codicis adeo magnitudine, forma, orthographiaque litterarum præstare, ut instituta pro-

Ætas prioris scripturæ in altero palimpsesto.

---

[b] Nouveau Traité Diplom. Tom. i. p. 487.

portione cum nuper laudata papyro, tum etiam cum plurimis aliis a celeberrimo Caietano Marino editis, scriptio Ambrosiana ad sæculum potius IV. quam V. pertinere videatur. Addo denique, Turcium Apronianum, qui sæculo V. floruit, usum esse omnino litterarum D. E. G. H. M. eâ formâ[a] quæ in nostro codice etiam comparet. Formam autem litteræ Q. quam in hoc Ambrosiano Codice vides, cave putes recentiorem, cum ea occurrat etiam in specimine characteris quadrati antiquissimi Scholiorum, quæ nos edidimus ad Orat. *pro Scauro.*

De quibusdam novis vocabulis quæ in his Operibus occurrunt.

XV. Atqui nonnullæ etiam voces in his Scriptis occurrant, quas in veteris latinitatis lexica nondum relatas notavi. Nimirum COMPECTO[b] LENITIES[c] HUMILITARE[d] DEMERITUM pro *meritum*, substantivum ut videtur nomen,[e] VINCENTER.[f] (Nihil dico de voce SENSIO[g] quam pro *sententia* vides in Isidori glossario) Alias fortasse diligentes lectores notabunt. Harum unam tamen reperi in lexico sequioris ætatis, nempe DEMERITUM, sed in sensu contrario pro

---

[a] Eiusdem Operis Tom. III. p. 56.
[b] In Orat. pro Scauro p. 15.
[c] In Clod. et Cur. p. 20.
[d] Pro Sylla p. 75.
[e] Pro Sylla p. 76.
[f] Pro Sylla p. 81.
[g] Pro Sylla p. 80.

peccato apud Cangium ex Magistro Rogerio. HUMILITARE activa quidem forma nullibi vidi, sed *humilitari* passiva apud eundem Cangium ex Fausto Regiensi. Quod siquis roget quid de his vocibus, quas in nostro Interprete offendimus, statuendum videatur, duplex potest esse responsio. Prior quidem, non continuo indicanda esse vocabula barbara, siquæ vel a lexicis veteris latinitatis absunt, vel apud recentiores tantum scriptores huc usque supererant. Nam certum est, plurimis amissis antiquis scriptis, multa quoque cum iis vocabula periisse, quæ prodire par est, siquando aliquod ex iis scriptis deperditis in lucem reducatur. Tum ipsi barbari Auctores sæpe bonis vocabulis utuntur, quæ tamen sublestæ fidei eatenus habentur, quatenus ea apud hos tantum leguntur. Hæc igitur quinque vocabula, sive quæ nullibi huc usque exstabant; sive quæ apud sequiores tantum auctores occurrebant; quoniam cum antiquo Scriptore deperdito sese nunc produnt, ea, inquam, in veteris latinitatis lexica referenda videntur. Id sicui minus placet, alteram accipiat responsionem ex Hadriano Cardinali[a] qui

[a] De Modis latine loquendi. Coloniæ MDXXIX. p. 245.

de Asconii edito textu sic loquitur: "Asco-
" nius Pedianus, qui tametsi sub Augusto
" Cæsare floruit,[b] bonaque multa atque ele-
" gantia scripsit, sicuti ex libello, sive potius
" fragmento, quod ante hos annos repertum
" est, colligi potest, multa fluit ac scatet bar-
" barie: quam tamen barbariem non ab illo
" certe, qui bono etiam tunc tempore eruditus
" est, provenire puto; sed potius ab aliquo
" insulso atque ineleganti grammitico, qui in-
" terpretis vice functus, inepta multa conseruit,
" quæ postea una cum bonis Auctoris verbis
" descripta sunt." Nos satis contendimus in hac Dissertatione, Interpretem nostrum videri Asconium. Quod nos vere dixisse, illud etiam indicio sit, quod utrumque scriptum aliquot alienis forte vocabulis interpolatum est. Quæ macula, siqua revera est, certe minima in Interprete nostro inhæret, in quo tam mendose ceteroqui olim descripto adeo paucas voces huiusmodi notare potuimus. Et COMPECTO quidem, ut diximus, apud ipsum legitur Ciceronem.

---

[b] Melius Hadrianus dixisset sub Claudio: quamvis et Augusti ætatem vidit Asconius.

XVI. Age vero tam nobiles summorum Scriptorum lucubrationes, quum ad iustum libri formam digessissem, nullis eas porro criticæ artis ornamentis instruerem? Sed nudas hiantes, tenebrisque vix depulsis cæcultantes in illustrissimam huius sæculi lucem emitterem? Id quum absurdum mihi videretur, cœpi eas pro meæ eruditionis copiolis presse quidem sed accurate expolire. Itaque et singulis Tullianis Orationibus saltem ineditis, Monitum præposui, in quo cuiusque historiam, occasionem, propositumque evolvo. Tum perpetuis Adnotationibus ipsas Ciceronis Particulas et Interpretis Commentarium, primum quidem a pluribus amanuensium veterum mendis purgo, tum de Codicis palæographia, vocabulis interdum novis, rebus denique cunctis notabilioribus lectores admoneo. Lacunas aliquod minimas Codicis, voculis interiectis (distinctis tamen a vetere textu) expleo. Et quia in Scripto tam annoso et abrupto multa obscura esse sentiebam, id quoque curavi, ut implorata historiæ et philologiæ ope, mediocrem ei lucem aspergerem. Quia vero nullum Scriptorem evidentius explicari iudicabam, quam cum ipse sui

De notis criticis ad hæc Opera

fit interpres, Ciceronem quidem ex eius editis scriptis sæpe declaravi; Commentarium autem anonymum, quum Asconii esse putem, frequentissima Ascovianæ editionis comparatione consectatus sum.

Commendantur hæc nova Opera Italiæ.

XVII. Nunc quoniam satis videtur fluxisse verborum, ut extremum aliquid habeat oratio, ita mihi finiendi necessitatem imponam, si Nationi meæ, si præstantissimæ provinciarum omnium Italiæ hæc Maiorum nostrorum rediviva Opera singulariter commendavero. Scilicet ei populo, unde orta gravitas et magnitudo animi videtur: qui diu cum tot gentibus de disciplinarum atque artium gloria decertavit: cuius doctrina, vis ingenii, pulcherrima gesta orbis terræ iudicio comprobantur. Quippe Deus Italiam cum elegantiæ, ubertatis, sacrorum sedem constituit; tum eruditionis etiam, literarum, artium, scientiarum post barbarica sæcula arcem esse voluit sempiternam. Quare hæc etiam Inventa quasi igniculos quosdam Deus extudit, quibus animi nostri ad industriæ laudem cierentur. Obliviscendum nobis putamus ea nos in terra versari, ubi barbarorum incursus et furor innumeros italicorum ingeniorum la-

bores inficetis temporibus obruit? O duros animos, o derelictos homines ab humanitate qui tam turpem cladem ediderunt! Nulla potest eloquentia indignitatem rei pro merito detestari. Atque utinam quod barbarorum olim imprudentia aut satietas nobis reliquum fecerat, id alii deinceps molestissimi casus non eripuissent! Hem conditionem miseram atque acerbam Italicorum studiorum! quorum præstantissima laus ideo quasi proposita atque edita in altum videtur, ut ab omnibus ventis fortunæ adversæ circumfletur.

XVIII. Sed non clamitabo iam vehementius, nec volitabo in hoc insolentius. Neque enim Itali tot incommodis cladibus rapinisque vexati idcirco animos abiecerunt: immo vero litterarias divitias, siquæ sibi a naufragio supersunt, acriore industria, atque, ut ita dicam, graviore cum fœnore exercent. Nam et ordinandis populorum nummis, declarandis regum diplomatibus, legendis marmorum titulis, edendis codicum scriptis diligentissimam curam impendunt. Iam pinacothecæ et lycea et nobiliorum artificum scholæ quid aliud ostentant, nisi anaglypta et statuas antiquo opere et summa

arte perfectas? Semper enim hæc ornamenta atque artificia, signa, tabulæ pictæ, sigillata vasa, toreumata, emblemata Italos homines singulariter delectarunt. Quis præterea tam dite solum paulo eruditius effodit, quin nummos, cippos, statuas, columnas, papyros etiam, et præclara opera omnigena commoveret? Nunc demum mea tenuis industria Ciceronem, atque, ut mihi penitus persuasi, etiam Asconium ex Ambrosianis forulis excitavit. Quare ii qui præstanti ingenio et singulari sagacitate præditi sunt ea moliantur excogitent tentent, quæ fieri ab iis civibus debent, qui sint Patriam temporibus miseris diu prostratam, studiorum fructibus atque oblectamentis recreaturi.

Tu vero, Vir eruditissime et optime IACOBE MELLERI, munus meum in præcedente Libello inchoatum, in præsente absolutum lubens excipe: et Opus in tua Patria repertum, te hortatore et fautore editum, ab homine tui studiosissimo tibi oblatum singulariter dilige.

ORATIONIS TULLIANÆ

IN .P. CLODIUM ET CURIONEM

PARTES INEDITÆ

CUM ANTIQUO COMMENTARIO

ITEM INEDITO

QUI VIDETUR ASCONII PEDIANI.

EDITORIS MONITUM.

Tullianæ Orationis in Clodium et Curionem *pauca verba in Editionibus, sed uberrima memoria extat. Laudant enim ex ea locos aliquot Nonius Marcellus et Quintilianus, quos vide sis in Fragmentis Orationis olim editis. Meminit eius etiam noster Interpres, quem nunc edimus, ad Orat.* in Vatinium. *Clodiani autem stupri, quod occasionem præbuit huic Orationi scribendæ, sexcentis in locis meminit Cicero. Vide, si lubet,* de Provinciis Consularibus *x.* in Pisonem *xxxix.* Paradoxum *iv, et passim* pro Domo sua, de Haruspicum Responsis, *et* pro Milone, *quæ tres Orationes magnam lucem affundunt huic ineditæ* in Clodium et Curionem. *Sed nusquam enucleatius quam in libro I. Epistolarum ad Atticum res tota evolvitur. Nam Epist. xii. ait Cicero: "P. Clodium Appii F. "credo te audisse cum veste muliebri deprehensum domi "C. Cæsaris, cum sacrificium pro populo fieret, eumque "per manus servulæ servatum et eductum; rem esse in- "signi infamia." Tum. Epist. xiii. "Credo te au- "disse, cum apud Cæsarem pro populo sacrificium fieret, "venisse eo muliebri vestitu virum; idque sacrificium "cum Virgines instaurassent, mentionem a Q. Cornificio "in senatu factam: postea rem ex senatus consulto ad "pontifices relatam, idque ab iis nefas esse decretum: "deinde ex senatus consulto consules rogationem pro- "mulgasse; Uxori Cæsarem nuntium remisisse." Historiam controversiæ in senatu actæ pertexit Cicero*

Epist. XIV. *ubi etiam apparet Curionem stetisse pro Clodio.* " *Homines ad* XV. *Curioni nullum senatns con-* " *sultum facienti assenserunt: ex altera parte facile* " *cccc. fuerunt. acta res est. Fufius tribunus tum in-* " *tercessit. Clodius conciones miseras habebat.*" *Sed descriptionem plenissimam huius Causæ Clodianæ habet Epistola* XVI. *cum particulis ipsus Orationis Tullii in Clodium, et Curionem. Quum hæc Epistola mirabiliter illustret nostra inedita Orationis Fragmenta, immo et ipsum Anonymi item ineditum Commentarium; visum nobis est eam omnino hic pæne integram potius præmittere, quam identidem ad eamdem minore cum fructu provocare.*

CICERO ATTICO.

Quæris ex me, quid acciderit de iudicio, quod tam præter opinionem omnium factum sit: et simul vis scire, quo modo ego minus, quam soleam, prœliatus sim: respondebo tibi ὕστερον πρότερον, ὁμηρικῶς. Ego enim, quam diu senatus auctoritas mihi defendenda fuit, sic acriter, et vehementer prœliatus sum, ut clamor, concursusque maxima cum mea laude fierent: quod si tibi unquam sum visus in rep. fortis, certe me in illa caussa admiratus esses. cum enim ille ad conciones confugisset, in hisque meo nomine ad invidiam uteretur, dii immortales! quas ego pugnas, et quantas strages edidi? quos impetus in Pisonem, in Curionem, in totam illam manum feci? quo modo sum insectatus levitatem senum, libidinem iuventutis? sæpe, ita me dii iuvent! te non solum auctorem consiliorum meorum, verum etiam spectatorem pugnarum mirificarum desideravi. postea vero quam Hortensius excogitavit, ut legem de religione Fufius trib. pl. ferret; in qua nihil aliud a consulari rogatione differebat, nisi iudicum genus; (in

eo autem erant omnia) pugnavitque, ut ita fieret; quod et sibi, et aliis persuaserat, nullis illum iudicibus effugere posse: contraxi vela, perspiciens inopiam iudicum; neque dixi quicquam pro testimonio, nisi quod erat ita notum, atque testatum, ut non possem præterire. itaque, si caussam quæris absolutionis, (ut iam *πρὸς τὸ πρότερον* revertar,) egestas iudicum fuit, et turpitudo. id autem ut accideret, commissum est Hortensii consilio: qui dum veritus est, ne Fufius ei legi intercederet, quæ ex S. C. ferebatur, non vidit illud, satius esse, illum in infamiæ relinqui sordibus, quam infirmo iudicio committi: sed ductus odio properavit rem deducere in iudicium, cum illum plumbeo gladio iugulatum iri tamen diceret. Sed iudicium, si quæris, quale fuerit; incredibili exitu, sic, uti nunc ex eventu ab aliis, a me tamen ex ipso initio consilium Hortensii reprehendatur. nam ut reiectio facta est clamoribus maximis; cum accusator, tanquam censor bonus, homines nequissimos reiiceret, reus, tanquam clemens lanista, frugalissimum quemque secerneret; ut primum iudices consederunt, valde diffidere boni cœperunt. non enim unquam turpior in ludo talario consessus fuit. maculosi senatores, nudi equites, tribuni non tam ærati quam, ut appellantur, ærarii. pauci tamen boni inerant, quos reiectione fugare ille non potuerat, qui mæsti inter sui dissimiles, et mærentes sedebant, et contagione turpitudinis vehementer permovebantur. hic, ut quæque res ad consilium primis petitionibus referebatur, incredibilis erat severitas: nulla varietate sententiarum: nihil impetrabat reus: plus accusatori dabatur, quam postulabat: triumphabat (quid quæris?) Hortensius se vidisse tantum: nemo erat, qui illum reum, ac non millies condemnatum arbitraretur. me

vero teste producto, credo te ex acclamatione Clodii advocatorum audisse, quæ consurrectio iudicum facta sit, ut me circumsteterint, ut aperte iugula sua pro meo capite P. Clodio ostentarint. Quæ mihi res multo honorificentior visa est, quam aut illa, cum iurare tui cives Xenocratem testimonium dicentem prohibuerunt; aut cum tabulas Metelli Numidici, cum hæ, ut mos est, circumferrentur, nostri iudices aspicere noluerunt. multo hæc, inquam, nostra res maior. itaque iudicum vocibus, cum ego sic ab his, ut salus patriæ, defenderer, fractus reus, et una patroni omnes conciderunt. ad me autem eadem frequentia postridie convenit, quacum abiens consulatu sum domum reductus. clamare præclari Ariopagitæ, se non esse venturos, nisi præsidio constituto. refertur ad consilium: una sola sententia præsidium non desideravit. defertur res ad senatum: gravissime, ornatissimeque decernitur. laudantur iudices. datur negocium magistratibus. responsurum hominem nemo arbitrabatur. Ἕσπετε νῦν μοι μȣσαι, ὅππως δὴ πρῶτον πῦρ ἔμπεσε. nosti Caluum, ex Nanneianis, illum laudatorem meum, de cuius oratione erga me honorifica ad te scripseram. biduo per unum servum, et eum ex ludo gladiatorio, confecit totum negocium: accersivit ad se, promisit, intercessit, dedit. iam vero (o dii boni! rem perditam!) etiam noctes certarum mulierum, atque adolescentulorum nobilium introductiones nonnullis iudicibus pro mercedes cumulo fuerunt. ita, summo discessu bonorum, pleno foro servorum, XXV. iudices ita fortes tamen fuerunt, ut, summo proposito periculo, vel perire maluerint, quam perdere omnia. XXXI. fuerunt, quos fames magis, quam fama, commoverit. quorum Catulus cum vidisset quendam, Quid

vos, inquit, præsidium a nobis postulabatis? an, ne nummi vobis eriperentur, timebatis? Habes, ut brevissime potui, genus iudicii, et caussam absolutionis. Quæris deinceps, qui nunc sit status reip. et qui meus. Reip. statum illum, quem tu meo consilio, ego divino confirmatum putabam, qui bonorum omnium coniunctione, et auctoritate consulatus mei fixus, et fundatus videbatur, nisi quis nos deus respexerit, elapsum scito esse de manibus uno hoc iudicio; si iudicium est, triginta homines populi R. levissimos, ac nequissimos, nummulis acceptis, ius, et fas omne delere, et, quod omnes non modo homines, verum etiam pecudes factum esse sciebant, id Talnam, et Plautum, et Spongiam, et ceteras huiusmodi quisquilias statuere, nunquam esse factum. sed tamen ut te de rep. consoler; non ita, ut sperarunt mali, tanto imposito reip. vulnere, alacris exultat improbitas in victoria. nam plane ita putaverunt, cum religio, cum pudicitia, cum iudiciorum fides, cum senatus auctoritas concidisset, fore, ut aperte victrix nequitia, ac libido pœnas ab optimo quoque peteret sui doloris, quem improbissimo cuique inusserat severitas consulatus mei. idem ego ille, (non enim mihi videor insolenter gloriari, cum de me apud te loquor, in ea presertim epistola, quam nolo aliis legi) idem, inquam, ego recreavi afflictos animos bonorum, unumquemque confirmans, et excitans. insectandis vero, exagitandisque nummariis iudicibus, omnem omnibus studiosis, ac fautoribus illius victoriæ παῤῥησίαν eripui. Pisonem cos. nulla in re consistere unquam sum passus: desponsam homini iam Syriam ademi: senatum ad pristinam suam severitatem revocavi, atque abiectum excitavi: Clodium præsentem fregi in senatu, cum oratione perpetua, plenissima gravitatis, tum alterca-

tione eiusmodi, ex qua licet pauca degustes. nam cetera non possunt habere eandem neque vim, neque venustatem, remoto illo studio contentionis, quem ἀγῶνα vos appellatis. Nam, ut idibus Maii in senatum convenimus, rogatus ego sententiam, multa dixi de summa reip. atque ille locus inductus est a me divinitus; ne, una plaga accepta, patres conscripti conciderent, ne deficerent: vulnus esse ejusmodi, quod mihi neque dissimulandum, neque pertimescendum videretur: ne aut ignorando stultissimi * iudicaremur. bis absolutum esse Lentulum, bis Catilinam: hunc tertium iam esse a iudicibus in remp. immissum. Erras Clodi: non te iudices urbi, sed carceri reservarunt; neque retinere in civitate, sed exilio privare voluerunt. quamobrem patres conscripti erigite animos, retinete vestram dignitatem. manet illa in rep. bonorum consensio: dolor accessit bonis viris; virtus non est imminuta: nihil est damni factum novi, sed, quod erat, inventum est. in unius hominis perditi iudicio plures similes reperti sunt. Sed quid ago? pæne orationem in epistolam inclusi. Redeo ad altercationem. Surgit pulchellus puer: obiicit mihi, me ad Baias fuisse. falsum: sed tamen quid hoc? simile est, inquam, quasi in operto dicas fuisse. Quid, inquit, homini Arpinati cum aquis calidis? narra, inquam, patrono tuo, qui Arpinates aquas concupivit. nosti enim marinas. Quousque, inquit, hunc regem feremus? regem appellas, inquam, cum Rex tui mentionem nullam fecerit? ille autem Regis hereditatem spe devorarat. Domum, inquit, emisti. putas, inquam, dicere, iudices emisti? Iuranti, inquit,

---

* Locum hiantem quidam explent sic; *aut timendo ignavissimi.* In Codd. Ambrosianis nullum supplementum inveni.

tibi non crediderunt. mihi vero, inquam, xxv. iudices crediderunt: xxxi. quoniam nummos ante acceperunt, tibi nil crediderunt. Magnis clamoribus afflictus conticuit, et concidit. Noster autem status est hic. Apud bonos iidem sumus, quos reliquisti; apud sordem urbis, et fæcem multo melius, quam reliquisti. nam et illud nobis non obest, videri nostrum testimonium non valuisse. missus est sanguis invidiæ sine dolore, atque etiam hoc magis, quod omnes illi fautores illius flagitii, rem manifestam illam redemptam esse a iudicibus, confitentur.

Hæc ad declarandam huius Orationis historiam ac pœne cursum sufficiant. Prodeant iam ex nostro Codice integrum Orationis Argumentum, et amplus Commentarius Scriptoris antiqui et inediti, non sine multis et nobilibus Partibus ipsius deperditæ Orationis. Scripta est autem hæc Oratio Consulibus Pisone et Messala, id est Ciceronis anno XLVI.

INC IN .P. CLAUDIUM

ARGUMENTUM.

Aput Græcos *huiusmodi genera orationum* ἐπαινοῦντα καὶ ψέγοντα[a] nominantur continentia ferme laudes et vituperationes. Non enim rei postulantur a Tullio vel .C. Curio vel .P. Clodius; sed quoniam habuerant in senatu quandam iurgiosam decertationem, visum Ciceroni est hanc orationem conscribere plenam sine dubio et asperitatis et facetiarum, quibus mores utriusque proscindit, et de singulorum vitiis quam potest acerbissime loquitur.[b] Sed enim principium huius offensæ fertur a .P. Clodi incestu[c] descendisse. Nam visus est

---

[a] Nota I. in Codice scribi sic: "Aput Græcos . . . . . . nominantur" spatio relicto. Huiusmodi spatia vacua haud raro occurrunt in Codice, quæ replenda videntur modo voculis græcis, quas librarius, quia græce forte erat ignarus, omisit: modo latinis, quas idem librarius ideo forte non scripsit quia exscribebat e codice corrupto aut mutilo.

II. Siqua verba charactere diverso et macriore Commentariis antiquis interseruntur, ea esse nostra suppplementa.

III. Visum esse nobis supplere ἐπαινοῦντα καὶ ψέγοντα, Consulatur Aristoteles Rhetor. Lib. I. cap. 27. Item Isocrates Panath. edit. Wolfianæ per Crispinum, p. 557. A. Nisi quis malit supplere ἐπιδεικτικὰ ex Cicerone *Orator* XI. et Fortunatiano C. *Rhet. Sch.* Lib. I. sub. initio.

[b] Consonat Quintilianus Inst. III. cap. 7. "Editi in Competitores (*in consulatus petitione Antonium et Catilinam*) in "L. Pisonem, IN CLODIUM ET CURIONEM Libri, vituperationem "continent, et tamen in senatu loco sunt habiti sententiæ."

[c] Cod. evidenter pro *incestu* habet *iratu*.

in domo Pontificis Maximi .C. Cæsaris eiusdemque prætoris incestum fecisse cum eius uxore Pompeia, eo tempore[a] quo per Vestales virgines et matronas honestissimas in operto Bonæ Deæ sacrificium viris omnibus inaccessum fiebat Unde elabso tamen Clodio magna invidia percrebuit et infamia cærimoniarum, ut senatus decernere cogeretur, omni[b] diligentia consulum pervestigandum, siquod esset publicis religionibus inlatum flagitium. Accedebat huc etiam præiudicium quoddam .C. Cæsaris ipsius Pontificis, qui uxorem suam ilico repudiavit. Post quod reus de incesto factus est .P. Clodius, accusante .L. Lentulo, defendente .C. Curione Patre. Nam tres illis temporibus Curiones inlustri nomine extiterunt, atque ita in libris[c] adhuc feruntur; Curio Avus qui Servium Fulvium incesti reum defendit; et hic .C. Curio Pater, qui .P. Clodio adfuit; et tertius ille Curio tribunicius qui bello civili Pompeiano in Africa periit. *Nam* cum esset partium Cæsaris, oppressus est ab equitibus Iubæ regis. Sed hactenus de Curionibus dictum sit.[d] Multum diuque habitis

---

[a] Cod. *cum eo tempore*.

[b] Cod. *omnia*.

[c] Nempe in eorum Orationibus, quæ adhuc supererant, cum hic Commentarius scribebatur.

[d] De primo Curione sic Cicero in Bruto XXXII. "Curio "fuit igitur eiusdem ætatis fere, sane illustris orator, cuius "de ingenio ex Orationibus eius existimari potest. Sunt enim

concertationibus ante iudicium, .P. Clodius a turbulenta multitudine, ne causam diceret, non sine impetu seditionis adiutus est: auctore huius conspirationis .Q. Fufio Caleno Tribuno Plebis,[a] cuius mentionem creberrimam Tullius in Filippicis[b] orationibus facit,[c] obstante vero pene[d] universo senatu pro sanctimonia religionum adversus crimen incesti. Iudices

---

" et aliæ, et pro Ser. Fulvio de incestu, nobilis oratio. No-" bis quidem pueris, omnium optima putabatur, quæ iam " vix comparet in hac turba novorum voluminum." Tum " addit " Atqui hæc, inquam de incestu laudata Oratio pueri-" lis est locis multis: de amore. de tormentis, de rumore, loci " sane inanes: verumtamen nondum tritis nostrorum hominum " auribus, nec erudita civitate, tolerabiles. Scripsit et alia non-" nulla, et multa dixit et illustria, et in numero patronorum fuit: ut " eum mirer . . consulem non fuisse."

Secundum Curionem dicit Consulem cum Octavio Cicero in Opere eodem LX. Huius vero laudi oratoriæ vehementer obtrectat capp. LIX—LXI. Sic tamen concludit: " Orator, vivis " eius æqualibus, proximus optimis numerabatur, propter verbo-" rum bonitatem, et expeditam ac profluentem quodammodo cele-" ritatem. Itaque eius orationes adspiciendas tamen censeo etc."

De tertio Curione sic scribit cap. LXXXI. " Atque hic a magis-" tris parum institutus, naturam habuit admirabilem ad dicendum: " industriam non sum expertus: studium certe fuit." De huius nece V. Cæsarem Bell. civ. 11. 42.

Curiones recenset inter Oratores etiam Auctor Dialogi *de caussis corruptæ eloquentiæ* cap. XXXVII.

[a] Asconius ad Orat. pro Mil. p. 197. Edit. Lugd. Batav. anni MDCLXXV. qua nos semper utimur, narrat: " per *hunc Fufium* seu " *Fusium* illo tempore, quo de incestu P. Clodii actum est, factum, " ne a senatu asperius decerneretur."

[b] Sic *Filippicis*: Retineo autem antiquam orthographiam, de qua Cicero *Orator* XLVIII. hæc ait: " *Purrum* semper Ennius, num-" quam *Pyrrhum*. *Vi patefecerunt Fruges*: non *Phryges*, ipsius " antiqui declarant libri. Nec enim græcam litteram adhibebant: " nunc autem etiam duas: et cum *Phrygum*, et cum *Phrygibus* " dicendum esset, absurdum erat aut tantum barbaris casibus " græcam litteram adhibere, aut recto casu solum græce loqui: " tamen et *Phryges*, et Pyrrhum aurium causa dicimus. V. etiam " Quintil. Inst. lib. I. cap. V."

[c] Vide præsertim Octavam: tum Decimam, Undecimam et Duodecimam.

[d] *Pene* hoc loco, at alibi fere semper scribitur *pæne*.

tamen ad extremum dati sunt. Et primo quidem ab senatu præsidium petiverant, *ut* de Clodio potentissimo homine liberius iudicaretur. Verum ita res cecidit, ut in eum multi grave testimonium dicerent, quorum in numero Marcus ipse Tullius interrogatus, ait: ad se salutatum venisse ipsa die Clodium, qua se ille contenderat Interamnæ[a] fuisse, millibus passuum ferme LXXXX. ab Urbe disiunctum; quo scilicet videri volebat, incesti Romæ committendi facultatem non habuisse. Et post hæc ab Iudicibus XXV. damnatus est. Prævaluit tamen ad eius victoriam maior eorum numerus qui absolverunt. Nam XXX. et una pro eo sententiæ latæ sunt. Inde igitur kapitalis[b] inimicus in M. Tullium cœpit efferri. Et cum illo anno *po*testate quæstoria fungeretur, aput populum creberrimis eum contionibus lacessebat. Minas quin immo prætendens, ad familiam se plebeiam[c] transiturum, ut tribunus plebis fieret, denuntiabat. Quibus minacissimis territus vocibus, vehe-

---

[a] Hoc Clodii mendacium ridet Cicero etiam in Orationibus *pro Domo sua* XXX. et *pro Mil* XVII. Porro Codex habet corrupte, *Interamne.* Contra superius item mendose, *æquitibus, cœcidit*, pro *equitibus, cecidit* Nimirum diphthongorum ratio valde est in hoc Codice perturbata.

[b] Ita Cod. littera græca *Kapitalis.* Sic inferius occurret *kaput.* Cicero ipse *Orator* XLVIII. scripsit *Kartaginem.* Sic apud Veteres non raro occurrunt *kalendæ, kalumnia, karissimus* etc. V. Quintil. Lib. I. cap. 7. et in Putsch. Terentianum p. 2400. Valer. Prob. p. 1515.

[c] Id reapse præstitit Clodius, quum, ut a Fonteio adoptaretur, curavit. Vide *pro Domo* sua XIII—XIV. et *de Haruspicum Resp.* XXVII.

menter et acerrimo spiritu hac oratione Cicero respondit, duorum tam ipsius quam Curionis.[a]

INCIPIT ORATIO.

Statueram .P.C. quoad reus esset .P. Clodius nihil de illo neque aput vos neque alio ullo in loco dicere.

Facere videtur hoc *in argumentum*[b] gravitatis ac modestiæ suæ; verum summa cum asperitate, quamvis absolutus sit Clodius, tamen incestum vere commisisse adhuc adseverat. Hoc enim testificando, se omni et humanitate et patientia .P. Clodio pepercisse, sine dubio confirmat veritatem sui testimonii, ut omnia de illo cum fide dixerit, cui per illud tempus reatus parcendum putaverit.

Ac furiosis contionibus indixerat.

Opportune et acriter furiosum .P. Clodium dicit, ut in eum suspicio conveniat incesti, cuius ingenium furore iactetur.[c]

---

[a] Sensus videtur huiusmodi "Quibus minacissimis territus "vocibus duorum tam ipsius, quam Curionis, vehementer," etc. Vel potius "hac Oratione Cicero respondit Orationibus duorum," etc.

[b] Spatium est in Codice, quod nos ita replevimus.

[c] Furiosam Clodii naturam pingit Cicero de Harusp. Resp. xviii. "A Diis quidem immortalibus quæ potest homini maior "esse pœna furore atque amentia? Tu (Clodi) cum *furiales in "concionibus voces* mittis, cum domos civium evertis, cum lapidibus optimos viros pellis, etc. cum baccharis, cum furis; "tum das eas pœnas, quæ solæ sunt hominum sceleri a Diis immortalibus constitutæ . . . . Deorum tela in impiorum mentibus figuntur."

QUOD SIMUL AB EO MIHI ET REIP. DENUNTIABATUR.

Et suæ dignitati plurimum dedit, et .P. Clodium vehementius accusavit. Nam gloriæ Ciceronis accedit, quod seiungi a rep. non potest: invidiæ autem .P. Clodii adstruitur, si odisse videatur in Cicerone remp.

NIHIL ME ADDERE AD ALTERIUS PERICULUM.

Satis agit, ut in testimonio non existimetur esse mentitus.

SIN ESSET IUDICATUM NON VIDERI VIRUM VENISSE, QUO ISTE VENISSET.

Amaritudo stomachi est in hac sententia, qua perstringit mores .P. Clodi scilicet inpudicos, ita dicendo: " non videri virum venisse " quo iste venisset." Quasi hoc pronunciaverint qui eum sententiis suis liberaverunt, non ut incestum sibi probari non potuisse dicerent, sed ut ipsum virum negarent.

UT ILLE IUDICIO TAMQUAM E NAUFRAGIO NUDUS EMERSIT.[a]

In loco et ipsorum Iudicum perstringit infamiam, quorum sententiis fuerat absolutus. Nam partim trecena millia, partim vero, secundum opiniones aliorum, quadringena accepisse dicuntur.

---

[a] Simili locutione de Clodio utitur Cicero in Orat. *de Haruspicum Resp.* XVIII. " Te Iudices emiserunt excussum et exhaustum: suo iudicio absolutum, omnium condemnatum."

SYRIAM[a] SIBI NOS EXTRA ORDINEM POLLICERI.

Diximus in Argumento,[b] per illud tempus Clodium fuisse quæstorem. Opimas igitur provincias cupiditati suæ blandiente dicit in animo habuisse: quasi hoc ab senatu consequi posset, quod ipse rapinarum meditatione gestiret.

CREDITORIBUS SUIS SPEM OSTENTARE PROVINCIÆ VIDERETUR.

Et defæneratum[c] hac in parte significat.

AUGENT MAGNUM QUENDAM CUMULUM ÆRIS ALIENI.

Quod non posset, nisi omnium provinciarum spoliatione dissolvi.

INGEMUIT GRAVIUS TIMIDIOR QUIDAM CREDITOR.

Ne quæsieris eius personam,[d] de quo videtur hoc dicere. Nam generatim fingit, ut desperatio pecuniæ recuperandæ consternaverit creditores eius, metuentes scilicet revertendi tarditatem.

---

[a] Clodius Gabinio Syriam tandem regendam dedit, postquam eo Consule Ciceronem pepulit in exilium. V. Pro Domo sua XXVI. *et de Provinciis Consul. pro Sextio, atque in Pisonem* passim. Denique Plutarch. in *Cicerone.*

[b] Solemne est Asconio in Commentario provocare ad ea quæ dixit in Argumento Orationis. Sic facit ad Orat. *pro Mil.* p. 194, 195. 198. 202. Sic igitur et noster Interpres hîc et inferius ad Orat. *pro Plancio,* n. 36.

[c] Nempe *fœnoribus exhaustum.*

[d] Simili prorsus modo et locutione utitur Asconius ad Act. I. in Ver. p. 50. Dixerat Cicero "A quodam Senatore ad equitem rom." Commentatur Asconius: "Horum nomina quidam inepte quæ-"runt: quasi certum sit quod dicitur, et non de industria fingatur "a Tullio ad invidiam adversariorum."

CONFIRMAT SE COMITIIS CONSULARIBUS ROMÆ FUTURUM.

Aculeus est asperitatis. Nam plerisque in locis in perversas ab eodem Clodio criminatus est pecunias candidatorum.

TANTO PRIUS AD ÆRARIUM VENIT, UT IBI NE SCRIBAM QUIDEM OFFENDERET.

Aput ærarium sortiri provincias et quæstores solebant[a] et scribæ, ut pro certo appareret in quam provinciam, vel cum quo præside proficiscerentur. Ardorem quendam nimiæ cupiditatis volens exprimere, festinasse ad ærarium dixit, ut etiam scribarum præveniret adventum.

QUI OMNIA SACRIFICIA NOSSET.

Ut incestum significaret, mediam[b] suspendit elocutionem, non ut religionem prætenderet, sed ut crimen.

CUM SE AD PLEBEM TRANSIRE VELLE DICERET, SED MISERE FRETUM TRANSIRE CUPERET.

Quoniam patriciis non licebat tribu*natum* accipere, idcirco se Clodius denuntiaverat in plebeiam familiam transiturum, ut adeptus

---

[a] Ob hanc locutionem *solebant* cave putes, idcirco nostrum Interpretem abesse multum a temporibus Ciceronis, quia videatur de usibus ejus ætatis tamquam diu præteritis aut etiam antiquatis loqui Quippe ita loqui moris est Asconio in iis Commentariis, qui sub eius certo nomine circumferuntur. Vide sis ex. gr. pp. 34. 37. 47. 48. 53. 64. 65. 69. 70. 77. 83. 91. etc.

[b] Cod. corrupte *significare medies suspendit elocutionem.* Porro ad loci intelligentiam, confer similem in hac Orat. inferius, p. 24. *Notemus verborum medietates elegantissime ab Oratore suspendi.* Et eumdem nostrum Interpretem ad Orat. pro Plancio No. 26.

hanc potestatem, de suis inimicis vindicaretur. De freto autem quod ait, illud[a] significat quo Sicilia ab Italia separatur: in qua se provincia sub .C. Vergilio[b] gratularetur idem futurum esse quæstorem.

HANC LOQUACEM SICILIAM NON DESPEXIT.

Loquacem videtur Siciliam dicere quod plerosque de pecuniis repetundis[c] accusaverat, et,[d] ut scimus, ipsum .C. Verrem.

ACCESSERUNT ITA PAUCI, UT EUM NON AD CONTIONEM, SED SPONSUM DICERES ADVOCASSE.

Ære alieno gravatum et supra dixerat Clodium. Solebant autem versuram facientes quasi ad fidem[e] futuræ solutionis sponsores dare. Verum hic volens eius perfidiam denotare, ait: non aliter paucos ad rostra venisse, quam si convocasset eos qui pro se sponderent. Multos

---

[a] Cod. *illut*, quod vidi et in aliis antiquis Codd. Sic interdum *aliut* pro *aliud*, contra *inquid* pro *inquit*.

[b] C. Vergilius Siciliam obtinebat prætor etiam cum Cicero in exilium profectus est. Namque ita de suo illo itinere scribit Cicero *pro Planc.* XL. "Siciliam petivi animo, quæ "et ipsa erat "mihi, sicut domus una, coniuncta: et obtinebatur a C. Virgilio: "quocum me uno vel maxime cum vetusta amicitia, tum mei "Fratris collegia, tum respublica sociarat." Vide etiam Plutarch. in *Cicerone*.

[c] Cod. *repetundiis*.

[d] Cod. *accusaverant, sed ut scimus*, etc. Cicero lib. II. in Verr. cap. III. ait: in neminem Civitates Siculas ante Verrem testimonium publice dixisse. Quod ibi confirmat Asconius scribens in Commentario: "Recte: quia Lepidus legibus tantum interro- "gatus, necdum etiam cœperat accusari." Verum Causa Verrina acta est anno fere decimo ante hanc Clodianam. Ergo ut Cicero et Asconius hîc sibi uterque constent, dicunt Siciliam *loquacem* et *accusatricem multorum* post Causam Verrinam.

[e] Cod. videtur habere *ad diem*.

enim fefellerat cum periculo sponsionis adstringeretur.

CUIUS SATISDATIONES SEMPER INDICUNTUR INDUCI.

Satisdationes dicit rescindi sententia prætoris. Et hoc in loco significat viros, qui stulte[a] pro Clodio mutuante pecuniam spondeant, cum sæpenumero experti sint, multos sponsores eius hoc nexu liberatos, cum se[b] circumventos illius fraude docuissent.

PRIMUM HOMO DURUS AC PRISCUS INVECTUS EST IN EOS QUI MENSE APRILI APUT BAIAS ESSENT[c]

Consuetudo erat multis ineunte verno ad aquarum quæ sunt in Campania velut fomenta salubria convenire. Igitur intulit personam Clodii quasi priscæ severitatis et continentiæ viri, cui displiceant et quæ non ad delicatam voluptatem, sed ad valetudinis optinendæ curam fieri soleant, cum sit ipse omnium libidinum cupiditatibus deditus. Et hinc fiet gradus ad ipsius Ciceronis Puteolanas possessiones, in quas devertere ad oblectamentum solebat. Removit ergo inpudentiam reprehendentis a moribus suis, ne vel superbus vel nimium delicatus[d] habeatur.

---

[a] Cod. *stulte timerent*. Sed *timerent* videtur omittendum.
[b] Cod. *si*.
[c] Recole epist. XVI. lib. I. ad. Att. "Surgit pulchellus puer: "obiicit mihi, me ad Baias fuisse. Falsum: sed tamen quid hoc? "Simile est, inquam, quasi dicas in Operto fuisse."
[d] Cod. *delictus*.

PER QUEM HOMINIBUS MAIORIBUS NATU NE IN SUIS QUIDEM PRÆDIIS, TUNC CUM ROMÆ NIHIL AGITUR, LICEAT ESSE VALETUDINIQUE SERVIRE.

Congesta et copiosa defensio est in ipsa propositione: ut eorum moribus nihil oporteat exprobari,[a] qui certo tempore anni salubres aquas petant. Vel quia ætate provecti sint, quæ ferme valetudo parum fida est: vel quia in suis prædiis demorentur, quod est legitimæ honestatis: vel quia eo tempore, quo sint Romæ omnia quietissima, nequis hoc ad fugiendum laborem civilium rerum facere videatur: vel quod sit omni modo valetudini serviendum, quæ non minus ipsis senatoribus, quam reip. necessaria sit, ut fortius possint obire munia, quæ gerenda sunt.

ITA FUIT CÆCUS, UT FACILE APPARERET VI DISSE EUM QUOD FAS NON FUISSET.[b]

De Appi enim Cæci familia genus trahebat. Et præcipitem volens significare atque temerarium, resculpit infamiam illius incesti, quod fecisse inOperto Bonæ Deæ videbatur, quo viris ingredi non liceret: quasi pœnam criminis sui luere iam cœperit nihil providendo quod dicat.

---

[a] Sic Cod. sed melius dices *exprobrari*. Vide tamen et p. 36.

[b] Hunc locum illustrat Cicero de Harusp. Resp. XVIII. qui loquens de eodem hoc stupro Clodii, sic. ait: "Aut quod oculos, "ut opinio illius religionis est, non perdidisti. Quis enim ante te "sacra illa vir sciens viderat, ut quisquam pœnam, quæ sequeretur "illud scelus, scire posset? An tibi luminis obesset cæcitas plus-"quam libidinis? Ne id quidem sentis, conniventes illos oculos "atavi tui magis optandos fuisse?"

ILLUM PATRONUM LIBIDINIS SUÆ.

.C. Curionem qui de proscribtione Syllana fundum emerat in Campania qui Marii nuper fuerat et ipsius Arpinatis. Quo se exemplo facillime Cicero purgavit, non esse id in se reprehendendum, quod municipi suo .C. Mario consulari numquam fuerit infame.[a]

NAM RUSTICOS EI NOS VIDERI MINUS MIRANDUM EST, QUI MANICATAM TUNICAM[b] et relicum.

Mixta responsio et facetiis urbanitatis et asperitatis *aculeis* non sine lenitie.[c] Definit enim rusticos et urbanos ita, ut in se ingenium sobriæ virtutis, in Clodio indicia fœditatis et dedecora proscribat.

---

[a] Hinc iam explicatur Ciceronis locus I. ad Att. XVI. cuius sensum nondum Interpretes assecuti fuerant. Ait ibi Cicero Clodium sibi obiecisse delicias " Quid, inquit, homini Arpinati cum " aquis calidis? Narra, inquam, patrono tuo, qui Arpinates aquas " concupivit." Curio Clodii patronus emerat fundum, qui Marii Arpinatis fuerat. Quid mihi Arpinati, inquit Cicero, balneas obiicis? obiice potius patrono tuo Curioni, qui Arpinatis hominis fundum et aquas concupivit. Hæc explicatio felicior adhuc videbitur, si Ciceronis locum sic legere liceat: " Narra inquam patrono " tuo, qui Arpinatis aquas concupivit." Et quidem Cod. Ambrosianus A. 47. pl. inf. habet *Arpinati aquas,* ex quo facile efficias *Arpinatis.* Commentario nostro quum carerent Interpretes alii *patronum* Clodii intellexerunt Clodiam sororem, ut Corradus, Iunius, Gronovius. Alii ignotum quemdam, ut Malaspina. Casaubonus etiam turpicula quædam in hunc locum invexit, *Arpinates aquas* explicans συνουσίαν.

[b] Tunicæ manicatæ exprobrantur viris etiam Æneid IX. v. 615. " Et tunicæ manicas, et habent redimicula mitræ. Tum Thebaid. VII. v. 657.

" Brachiaque in manicis, et pictæ vincula plantæ."

[c] Codex habet: " Mixta responsio et facetis urbanitatis et " asperitatis video lenitie non sine." Et nota vocabulum *lenitie,* nisi locus mendosus est.

TU QUI INDUTUS MULIEBRI VESTE FUERIS.[a] Videtur enim Clodius habitu muliebri sexum mentitus penetrasse domum .C. Cæsaris, ut incestum sub fraude committeret. Id describitur,[b] ut omnia linimenta turpitudinis detegantur.

CUM CALAUTICA[c] CAPITI ACCOMMODARETUR. [d] *Operimenti* genus, quo feminæ capita velabant hoc nomine ferebatur. Et Afranius meminit in Consobrinis ita dicens: "CUM MITHRIS, CALAUTICIS."[e] Inpudico igitur habitu erubescendi decoris quædam figura describitur. Atque ita se et in historia temporis huius commemoratio habet. .C. Cæsaris Pontificis Maximi Prætoris domi sacrificium sollemne pro populo fiebat. Huc vir ornatu muliebri quod introierat, sacrificium instauratum est. Res ad senatum delata est. Patres Conscribti decreverunt, *ut* de ea re non aliter quam de incestu quæreretur. Eo crimine reus

---

[a] Clodium ita indutum graphice describit Cicero etiam in Orat. de Harusp. Resp. XXI.

[b] Spatiolum relinquitur in Codice.

[c] *Calautica* non *Calantica* hîc et inferius habet Codex noster antiquissimus. Et quidem ita etiam Ulpianus in Digestis Florentinis. Vide Vossium in Etymol. et Vinetum in notis ad Auson. Perioch. v. Odysseæ. Porro Glossarii veteris expositio *calauticæ*, ut sit εἶδος ζώνης, plane refellitur a nostro Commentario, ubi feminæ dicuntur hac velavisse capita.

[d] Spatium est in Codice, quod replendum putavimus vocabulo *operimenti*, vel, siquis malit, *ornamenti*, aut voce aliqua græca.

[e] Afranius Terentii pæne æqualis, elegantissimus fuit Togatarum scriptor. In eius fragmentis quæ supersunt, laudantur aliquot loci ex Consobrinis: verum hic erat adhuc ineditus. Codex autem evidenter habet *mithris*, non *mitris*.

factus est. P. Cl. Pulcher, delatore .L. Lentulo, qui consul fuit post cum .M. Marcello: subscribentibus .Gn. et .L. Lentulis. Aurelia Cæsaris mater testis in iudicium accita est.[a] Ea pro testimonio dixit, suo iussu eum esse dimissum. Idem dixit Iulia Soror Cæsaris. Et tamen post hæc absolutus est.

SED CREDO POSTQUAM SPECULUM TIBI ADLATUM EST, LONGE TE A PULCHRIS ABESSE SENSISTI.

Festivissime simul et nobilitatem generis infamatam, et mores femineos in speculi contemplatione detexit, quo ferme ad explorandam curæ suæ diligentiam mulieres uti solent. Ergo et inliberalem[b] figuram probro dedit, et Maiorum suorum dissimillimum contestatus est. Nam fuit hoc Claudiæ Familiæ cognomen illustre. Quippe antiquitus .P. Claudius Appi Cæci filius primus ex isto genere Pulcher appellatus est. Hic consul aput Drapanam[c]

---

[a] Cod. *In iudicio ita est.* Forte igitur scribendum: "Aurelia "Cæsaris mater testis in iudicio, ita est, dixit pro testimonio, etc."

[b] Inliberali figura præditum Clodium diserte aiunt hîc Cicero et noster Auctor Commentarii, qui idem repetit ad Orat, *de ære alieno Milonis.* Itaque Clodius ironice dicitur *pulchellus puer* Epist. XVI. libri I. ad Attic. Fallitur ergo ad eum epistolæ locum Paulus Manutius, qui videtur credere Clodium fuisse pulchrum, ex eo quod Plutarchus in Cæsare et Cicerone scribat, ut ipse ait, *facie puellæ similem fuisse.* Verum si diligentius loci Plutarchi legantur, patebit, in Cicerone dici Clodium tantum *imberbem* ob adolescentiam. In Cæsare *imberbem, et cultu sumpto psaltriæ ad Pompeiam accessisse Clodium referentem specie iuvenculam,* quia nondum scilicet erat barbatus, et veste se exornarat muliebri.

[c] Cod. sic *Drapanam,* et inferius *confixit,* quod emendavimus *conflixit.*

adversus auspicia Pœnis classe conflixit. Ea pugna Romanorum naves perierunt cxx.[a] Ob id factum dies ei dicta perduellionis a Pullio[b] et Fundanio Tr. Pl. Cum comitia eius rei fierent et centuriæ introducerentur, tempestas turbida coorta est. Vitium intercessit.[c] Postea Tr. Pl. intercesserunt, ne idem[d] homines in eodem magistratu perduellionis bis eundem accusarent. Itaque actione mutata, iisdem accusantibus multa inrogata populus eum damnavit æris gravis cxx. millibus.

AT CUM, INQUIT, ABSOLUTUS NOVO QUIDEM HERCLE MORE, CUI UNI ABSOLUTO LITES ÆSTIMATÆ SUNT.

Victoriam quoque iudicii Orator convertit in dedecus, inopinata inlata huiusmodi responsione. Lites autem damnatis reis æstimabantur, cum taxatio pecuniæ fiebat, quæ illis adfigeretur. Quoniam e reo non probatione innocentiæ sed corruptis iudiciis fuerat Clodius abso-

---

[a] Vide Polybium ad annum XVI. primi belli punici (Edit. Amstel. 1670. T. I. p. 74-75) qui tamen ait periisse naves romanorum tantum XCIII. Classis utique Claudii constabat navibus CXX. ut scribit Orosius Lib. IV. Cap. 10.

[b] Ita Cod. *a Pullio.* Sed *Tullium* eo anno unum e tribunis profert Pighius. *Iunius Pullus* erat eodem anno Collega Claudii in Consulatu.

[c] V. Valer. Maxim. Lib. VIII. Cap. I. 4. Hinc illa formula apud latinos *servare de cœlo.* Sic Cicero Philipp. V. cap. III. "Quam "legem se augur Antonius dicit tulisse, non modo tonante Iove, "sed prope cælesti clamore prohibente, hanc dubitabit contra au- "spicia latam confiteri?"

[d] Cod. ita *idem* pro *iidem,* solita crasi, Iotacismi vitandi causa.

lutus, idcirco ait absoluto lites æstimatas:[a] hoc est pœna quidem liberatum, sed pecunia quodammodo multatum, quam Iudicibus pro absolutione numerasset.

Quasi ego non contentus sim quod mihi quinque et xx. Iudices crediderunt. Qui sequestres abs te locupletes acceperint . . . et relicum.

Notemus verborum medietates elegantissime ab Oratore suspendi.[b] Nam cum præseferret Clodius victoriam iudicii quod liberatus sententiis pluribus videretur, ait Tullius ad confirmandum testimonii sui religionem, xx. et quinque sibi Iudices credidisse, illos videlicet qui eum damnaverant. Sed etiam illos, qui pro reo sententiam dixerint, ipsi Clodio nihil credidisse, quando ab Senatu auxilium petierint, et aput sequestres idoneos illam deponi pecuniam voluerint, ne frustrarentur ea spe, quam, reo paciscente, præsumserant[c]. Et has ergo sententias, quæ videbantur Clodio aliquid honestatis adquirere, in vituperationem convertit, ut pars Iudicum damnarit incestum, pars vero privatum lucrum præposuerit religioni. Et hic subest, postulasse Iudices ab senatu præsi-

---

[a] De litis æstimatione vide, si lubet, Asconium ad Act. I. *in Verr.* p. 59-60.

[b] Recole similem locutionem superius p. 16.

[c] Confirmat hoc Tullius I. ad Attic. Epist. XVI. ubi ait: "Clodium in tribubus pronuntiare nummos solitum esse, et non dare."

dium, non ut fortiter et libere iudicarent, sed ne illam sibi pecuniam reus absolutus eriperet[d].

DIVORTIUM PONTIFICIS MAXIMI.

Præferuntur[a] argumenta, quibus incestum .P. Clodii potuerit facillime probari, nisi pecunia intercessisset. Nam .C. Cæsar Pontifex diebus illis repudiarat uxorem. Feminæ quoque, quæ illi sacrificio interfuerant, de interventu virili testimonium dixerant. Servi etiam, cum peterentur in quæstionem, alienati fuerant, et in diversas provincias ab Domino missi. Quinque etenim servi, in quos maxime suspicio congruebat, partim missi sunt ad Appium Claudium, qui Frater eiusdem .P.[b] Clodii fuerat, et in Græcia tunc agebat; partim ad vilicum Diogenem nomine, qui trans Alpes morabatur. Nec non etiam ancillæ in tormenta sunt postulatæ, quæ propiores[c] ministerio, fuerant Pompeiæ uxoris Cæsaris, quarum fuit e numero Hibera[d] quædam nomine, cuius in cellam .P. Clodius confugisse arguebatur. De stupro autem scelerato quod ait, illud videtur

---

[d] Confirmat Cicero de Harusp. Resp. XVII. "Suspicor de "tuorum Iudicum manifesto periurio dici; quibus olim erepti "essent nummi, nisi a senatu præsidium postulassent."

[a] Codex ita *præferuntur*, sed forte melius diceretur *proferuntur*.

[b] Codex pro *.P.* habet *de*.

[c] Codex *propriores*, quod, si placet, retineatur.

[d] Plutarchus in Cicer. vocat Ἄὔραν, quod forte hic addendum, nempe "Hibera quædam nomine *Aura*." Nisi hic forte *Hibera* sit nomen proprium, non gentile.

incestum significare, cuius infamia circa Sororem Clodiam pervolgabatur.[e]

QUATTUOR[a] TIBI SENTENTIAS SOLAS AD PERNICIEM DEFUISSE.

Nequam habeat Clodius absolutus innocentiæ dignitatem, facta comparatione numeri, ostendit prope eandem proportionem fuisse, quæ damnarit incestum: nec illi integritas sua, sed cuiusdam perexigui numeri felicitas patrocinata sit.

NAM .L. QUIDEM COTTA.

Hic fuit auctor iudiciariæ legis Aureliæ, qua senatoribus abrogata est summa potestas iudicandi, et communicata cum tribunis[b] ærariis, ita ut in iudiciis esset minor numerus senatorum.

UT POSTHAC LEGE AURELIA IUDEX ESSE NON POSSIT.[c]

---

[e] De Clodii turpi consuetudine cum Sorore tam sæpe loquitur Cicero in Orationibus, ut locos laudare supervacaneum sit.

[a] Quoniam Clodium Iudices XXV. damnaverant, XXXI. absolverant, patet eorum summam fuisse LVI. cuius dimidium XXVIII. Quum igitur XXV. damnaverint, quattuor defuerunt sententiæ ad excedendum dimidium partis adversæ, nempe ad XXIX: quæ si adfuissent, Clodii damnatio et pernicies esset secuta.

[b] Cod. *romanis* sed omnino corrigendum fuit *tribunis.* Nam Asconius ait ad *Divinat.* p. 19—20. " Aurelius Cotta legem fert, " ut Senatores et Equites romani, ac Tribuni ærarii simul iudicent." Et ad Orat. *pro Cornel.* p. 140. " Aurelia lege communicata iudicia " inter Senatores et equestrem Ordinem, et Tribunos ærarios." Idem dixerat ad eamdem Orationem p. 130. qua pagina etiam scribit Asconius: *Hic est Cotta de quo iam sæpe diximus.* Iam vero de eo dicitur etiam in hoc Commentario, quem nos esse Asconii autumamus.

[c] Tullius hîc, et Interpres in fine commentarii dicere videntur, Iudices Clodianos, si pecunia data spolientur, iam non posse esse Iudices lege Aurelia, quia censu omni careant. Certe idem Tullius

Pæne quidem verisimile non est, quod præsetulisse .P. Clodium dicit, pecuniam se recepturum qua sententias emerat eorum, qui se crimine liberassent. Quid enim esset hoc stultius, cum semetipsum hac prædicatione damnandum fuisse confiteretur, nisi Iudices corrupisset? Sed non abhorret a fide hoc dixisse Clodium eo tamen proposito, quo significaret innocentem se principum vi et inimicorum potentia laborasse: et ea propter pecuniam dedisse Iudicibus, ut quoquomodo illorum manibus eriperetur, qui se opprimi vellent. Id ergo hic negat Tullius,[a] Iudices illos pecuniam quam acceperint reddituros, ne postea in numero Iudicum lege Aurelia esse non possint. Sive quod se, pecuniam reddendo, faterentur esse corruptos; sive quod amissis trecenis vel quadringenis millibus quæ a reo acceperant, in egestatem revolverentur ac propterea in Iudicum . . . . . .

. . . .

Cetera desiderantur.

I. ad Attic. XVI. eos inopiæ causa deridet: "Non enim umquam "turpior in ludo talario consessus fuit, maculosi senatores, tribuni "non tam ærati, quam, ut appellantur, ærarii." Et quidem Pompeius secundo Consulatu legem promulgavit, ut ex amplissimo censu et centuriis lecti iudices, æque tamen ex iisdem tribus ordinibus (senatorio, equestri, plebeio) iudicarent. V. Antonium Augustinum de Legib. in *Aurelia Iudiciaria.*

[a] Codex "Id ergo hic negat Iudices illos Tullius pecuniam, etc."

[illegible]

[illegible]

[illegible]

ORATIONIS TULLIANÆ

ANTEHAC PRORSUS INCOGNITÆ NEDUM INEDITÆ

DE ÆRE ALIENO MILONIS

PARTES ALIQUOT

CUM ANTIQUO COMMENTARIO

ITEM INEDITO

QUI VIDETUR ASCONII PEDIANI.

EDITORIS MONITUM.

ORATIONIS TULLIANÆ de ære alieno Milonis *non modo nullæ reliquiæ ad hanc usque diem cognitæ erant, sed ne memoria quidem supererat. Tantum ex Argumento Asconii ad editam Milonianam constat, Milonem ingentes largitiones fecisse ut consulatum consequeretur. "Dum Milo quam primum Comitia confici vellet, con- "ficeretque cum bonorum studiis, qui obsistebant Clodio, "tum etiam populi, propter effusas largitiones, im- "pensas quoque ludorum scenicorum, ac gladiatorii "muneris maximas, in quas tria patrimonia effudisse "eum Cicero significat." Item Milonis damnati et exulis, scribit Asconius ad Orat. pro Mil. p.* 205 *bona veniise semuncia* propter alieni æris magnitudinem. *V. quoque Cic. II. ad Attic. Epist. V. Milonis magnificentiam munerum liberalitatemque naturæ narrat Cicero etiam II. ad Famil. Epist. VI. et Lib. II. de off. XVII. Quare haud dubium, quin, quum consulatum peteret, ingenti ære alieno Milo premeretur. Ceterum occasio et materia Orationis* de ære alieno Milonis *diserte explicantur in Argumento, quod ei noster Interpres præponit. Nos igitur huius Orationis Argumentum, et Commentarium in eamdem, licet sæpe mutilum, cum interspersis Ciceronis Particulis, nunc primum edimus. Patet autem ex ipso Argumento quo anno dicta sit hæc Causa, nempe anno U. C. DCCII. quo item anno et Clodius deinceps occisus est, et scripta etiam ea defensio Milonis interfectoris quæ in Editionibus extat.*

INCIPIT DE ÆRE ALIENO MILONIS FELICITER.

ARGUMENTUM.

IN eundem annum. Consulatum petierunt Annius Milo, et[a] .Q. Metellus Scipio, et Hypsæus. Quo anno etiam .P. Clodius Pulcher inimicus eius in præturæ candidam venerat.[b] Idem cum petitioni Milonis adversaretur, et comitia multo et vario ambitus genere turbaret, quo magis Hypsæus et Scipio consules designarentur, Milo autem repulsam ferret; per hos dies senatus convocatus est: aput quem .P. Clodius[c] invectionem sibi non tantum contra Milonem verum etiam contra ipsum .M. Tullium contumeliosam atque asperam depoposcit, ut ambitum moveri ab eo diceret, quoniam multis erga remp. meritis prævaleret. Vim moliri etiam per armatos homines criminaretur. Ad extre-

---

[a] Desunt prima Argumenti verba in Codice, relicto spatio. Hæc nos supplevimus ex Argumento Asconii ad Milonianam, ubi eadem narratur consulatus petitio.

[b] Confirmat Asconius in supradicto Argumento ad Milonianam: " In eundem annum Consulatum Milo, Clodius Præturam petebat: " quam debilem futuram Consule Milone intelligebat."

[c] P. Clodius videtur aliqua eloquentiæ laude floruisse. Nam (præter eius Conciones hîc et in Orat superiore a nobis edita, et in Commentario quem nos item nunc edimus ad Orat. pro Plancio n. 77. commemoratas) narrat Asconius ad Orat. *in Toga Candida* p. 145. ab eo adolescente accusatum Catilinam. Tum Velleius Paterculus Lib. II. cap 45. scribit: " P. Clodius, homo nobilis, di- " sertus, audax, quique dicendi neque faciendi ullum nisi quem " vellet, nosset modum."

mum longe minus quam haberet æris alieni esse professum. Nam sestertium sexagies[a] in ære alieno se habere professus Milo secundum veterem consuetudinem fuerat. Cum igitur obnixe contenderet Clodius non oportere qui magno ære alieno defæneratus prædæ videretur habiturus esse remp., contradixit eius insectationi .M. Cicero, qui familiaritate præcipua Milonem diligebat ob id maxime meritum, quod restitutionem suæ dignitatis ab eodem tribuno plebis meminerat adiutam. Quamto[b] autem odio habuerit .P. Clodium iam compertum est ex orationibus illius plurimis, quibus eius vitam moresque dilacerat.[c] Ex iurgio itaque quod inter se moverant oratio ista composita est, cuius inscriptionis titulum, priusquam commentari adgrediar, explanandum puto: non ab re existimans futurum nostris lectoribus, si orationis titulum non indocte perspexerint. Quippe inscribitur INTERROGATIO DE ÆRE ALIENO MILONIS. Interrogationis autem non una species erat, sed varia: ut alia significaret accusationis denunciationem, qualis illa præscribtio est orationis eius, qua usus fuit in eum .P. Clodius *cum* legibus interrogasset. Legibus enim

---

[a] *Sestertium sexagies*, valet libras gallicas 1,200,000 nempe aureos venetos circiter 100,000. Vide Romé de l'Isle *Metrologie*, p. 147.

[b] Ita Codex *quamto*.

[c] Vide superiorem Orationem in Clodium et Curionem a nobis editam: tum *pro Domo sua, de Haruspicum Resp. pro Mil.* In aliis etiam sæpe hunc suum inimicum carpit Cicero.

sic interrogabatur inquirente accusatore an omnia secundum legum præscripta gesserit is, cui crimen intendebatur.[a] Erat alia præterea interrogatio testium, sicut ipse .M. Tullius .P. Vatinium testem interrogavit. Proprie namque interrogatio dicebatur, qua testes redarguebantur. Tertia hæc est interrogandi species, ut Sinnio Capitoni[b] videtur, pertinens ad officium et consuetudinem senatoriam. Quando enim aliquis sententiam loco suo iam dixerat, et alius postea interrogatus quædam videbatur ita locutus, ut refutari[c] posse iustissime viderentur, postulabat ille qui iam sententiam dixerat, ut sibi liceret interrogare, hoc est illum redarguere, cuius sententia in multis quasi mendax et calumniosa redargui posset. Quoniam ergo dixerat Clodius et minus professum æris alieni Milonem. . . . .

ORATIO.

. . . . . ADVERSARII.

Nunc ad aliud transit: an Milo per vim facere conetur. Et hoc similiter refutavit, ut omnis ista suspicio et invidia in Clodium retor-

---

[a] Confer hunc locum cum Asconio ad I. Act. in Verr. p. 44. et ad Lib. II. in eumdem Verr. p. 113.

[b] Sinnius Capito sæpissime in re grammatica citatur apud Festum. Eius Epistolas laudat Gellius Lib. V. cap. XX. et XXI. Et quidem cap. XXI. dicit de eo: "Sinnii Capitonis doctissimi viri Epis-"tolæ sunt uno in libro multæ, opinor, positæ in templo Pacis."

[c] Cod. *refutare*.

queatur. Ita enim *argumenta* excurrent, quibus et Milonem purget et adversarium prægravet.

Eiciundus est ex urbe civis auctor salutis.

Copiosissima et vehemens exsecutio, ut supra dixi, reum de vi constituens .P. Clodium, cuius res gestæ omnes nihil umquam tranquillitatis habuisse videantur, sed statim cœperit *ab adolescentia furere*.[a] Exilii sui mentionem quam subtiliter et consulte, non specialiter nec nominatim, sed per hanc generalitatem intulit! Quoniam erat aliquid cum sua laude dicturus, eiciendus est, inquit, ex urbe civis auctor et custos salutis otii dignitatis fidei. Hæc quoniam *sibi honorifica*[b] erant, quasi de alio[c] loqueretur induxit, ne pro insolenti et iactantissimo haberetur.

Includendus intra parietes.

Videtur et .Gn. Pompeio idem Clodius insidias paravisse.[d] Itaque oratorie laudem subiecit hoc inferendo:

Qui Populi .R. imperium non terrarum regionibus, sed cæli partibus terminavit.[e]

Hoc enim ita . . . superiectum est, ut et Pompeio blandiretur et Clodium quasi hostem

[a] Hæc videntur supplenda.
[b] Spatium in Codice, quod videbatur sic explendum.
[c] Cod. *de aliquo.*
[d] Id prorsus adfirmat Cicero *pro Mil.* VII.
[e] Idem dicitur de Pompeio in III. *Catilinar.* cap. X. "Fines vestri imperii non terræ, sed cæli regionibus terminaret."

publicum denotaret, qui virum tam necessarium reip., ipsi eripere conatus sit.

NEC VERO TUM TIMENDUM FUIT CUM CESSIMUS.

Bene elocutus est de exilio suo, quod maluit discessionem vocare quam pœnam. Et *in* aliis Orationibus[a] similiter coloravit, neque metu neque ulla conscientia criminum se maluisse discedere, sed præcavisse potius, ne ad arma per seditionem veniretur.

EOSDEM AD CÆDEM CIVIUM DE APPENNINO DEDUXISTI.[b]

Quasi hæc omnia in Catilinam socium dicerentur, ita mentionem attulit Appennini, quem nuper ille[c] cum exercitu obtinuerat.

LAPIDIBUS DUO[d] CONSULES CÆCIDERUNT.

.Gn. Domitium Calvinum et .M. Valerium Messallam. Nec alia fuit causa cur senatus convocaretur, quam illa præcipua, quod .P. Clodius inmissa seditiosorum manu comitia turbaverat, quæ habebantur de consulibus creandis, cum esset etiam Milo candidatus.

QUI MULTIS INSPECTANTIBUS KAPUT[e] FERIEBAS, FEMINA PLANGEBAS.

---

[a] Vide præsertim *pro Sextio* VII—XXV. ubi de exilio suo, in quod sponte profectum se dicit, copiosissime agit Cicero. Vide etiam *pro Domo sua* XXXVI. *pro Mil.* XIV. *Paradox.* IV.

[b] Confirmat id de Clodio Cicero *pro Mil.* IX. "Servos agrestes "et barbaros ex Apennino deduxerat."

[c] Nempe Catilina, qui Roma eiectus, montes Hetruriæ cum suis copiis occupavit. V. Sallust. *Bell. Catil.*

[d] *Duo* pro *duos.* Porro Clodium in comitiis, lapides iaciendos curasse, testis est Cicero *pro Mil.* XV.

[e] *Kaput* pro *Caput.* V. Superius p. 12. N. 2. et præterea Martianum Capellam Lib. III. cap. *de mutis.*

Gestum furiosi hominis . . . .

. . . BER ANIMOSE CONFIDENS.

In Clòdium convertitur, *ut* huiusmodi obsequia humilitatis plenissima in eum. verius et probabilius conferantur, qui abiecta omni dignitate ordinis sui Pompeium demissis precibus oraverit, ut ab eo in gratiam reciperetur.[a]

NON PUDET? SED QUID PUDEAT HOMINEM NON MODO SINE PUDORE, VERUM OMNINO SINE ORE?

Multa cum acerbitate insurrexit, et inpudentiam sive infamem turpitudinem sive deformitatem voltus volens exprobare,[b] non tantum sine rubore verum etiam sine ore .P. Clodium dixit. Nam traditur forma inliberali in fuisse,[c]

SIC ENIM HOMINES EGENTES ET TURBARUM CUPIDI LOQUEBANTUR: O VIRUM USUUM![d]

Rumigerantium sermones rettulit, qui cum summum vigorem constantiæ Clodio adscribsis-

---

[a] Relapsus est, ut videtur, Cicero ad causam illam antiquiorem Clodianam de stupro in Operto Bonæ Deæ. Et quidem illud stuprum sæpissime Clodio obiecit Cicero, ut iam notavimus ad Orationem superiorem in Monito. Ceterum hæ Particulæ sine dubio pertinent ad Orationem *de ære alieno Milonis,* nam tituli in margine Codicis id evidenter demonstrant.

Quod autem dicit Tullius a Clodio humiliter exoratum Pompeium, revocanda in memoriam est Epistola XIV. lib. I. ad Atticum, ubi scribit Cicero, Pompeium in senatu sententiam dixisse, ut senatusconsultum de religione violata ratum esset. Tum addit: "Cum "decerneretur frequenti senatu (contra pugnante Pisone, ad pedes "omnium singillatim accidente Clodio) ut consules populum cohor- "tarentur ad rogationem accipiendam, etc." Sed enim de recentiore reconciliatione Clodii cum Pompeio loquitur Dio Lib. XXXIX. 29. ad annum U. C. DCLXXXXVIII.

[b] Ita Cod. *exprobare,* Recole p. 19. N. 2.

[c] De Clodii deformitate vide Orat. *in Clod. et Cur.* p. 22.

[d] Cod. sic evidenter *usuum.*

sent, quod audacius Pompeio repugnaret; post, eundem humili satisfactione depositum contemtui ducerent.

MALEDICERE AUTEM, IMMO VERO DOMO[a] PRINCIPEM CIVEM VI ET METU CONTINERE.

. . . Sub eadem figura[b] verbum retraxit per quandam correctionem. Notissimum[c] autem est .P. Clodium *insidiatum* esse Pompeio. Idipsum testificatur et in aliis quidem retro habitis orationibus, et multo plenius ac manifestius pro Milone.[d]

UT QUAS HABERET IN VESTIBULO TABULAS REFIGERET.

Post eiectum Ciceronem, velut criminum eius ellogia[e] perscribserat Clodius, et easdem tabulas in vestibulo domus suæ fixerat, de quibus nunc loqui videtur: easque contendit, quoniam falsæ sint et calumniosæ, pro nihilo esse ducendas, nec ullam sibi ex iis invidiam re pertimescendam, qui et in senatusconsultum[f] nihil mentitus sit, et restitutionem meruerit.

---

[a] Sic Cod. *domo* pro *domi*, ut Plautus Amph. 2. 2. 7.

[b] In Cod. sic: . . . . *in sub eadem figurat* . . . relictis spatiis.

[c] Cod. *novissimum*: quod mendum pro *notissimum* occurrit mihi alibi quater aut quinquies in hoc Commentario.

[d] Cap. VII. "Caruit foro postea Pompeius caruit senatu: caruit "publico: ianua se ac parietibus, non iure legum iudiciorumque "texit." Vide etiam Asconium p. 198.

[e] Cod. *et locia proscribserat.*

[f] Cod. *senatusconsultus.* Porro censeo corrigendum "qui et se- "natusconsultum nullum mentitus sit." Hoc patet ex ipso Cicerone, qui in Orat. *pro Domo sua* XIX. refellens eam legem qua proscriptus fuerat a Clodio, ait: "Quid. si iis verbis scripta est ista "proscriptio, ut se ipsa dissolvat? est enim: *Quod M. Tullius falsum* "*senatusconsultum retulerit.* Si igitur retulit falsum senatusconsul- "tum, tum est rogatio: si non retulit, nulla est. Satis ne tibi vide-

Etenim tria, ut opinor, hæc in Milonis personam questus es, de ære alieno, de vi, de ambitu.[a] Duo præteristi: nihil de religionibus violatis, nihil de incestus stupris questus es.

Facta supra divisione[b] per eas species, quibus insectatus Milonem Clodius fuerat, subdit Orator etiam duo hæc posteriora, sive in ipsum procul dubio adversarium con . . . . . . lium nomina.

Est enim quocumque venit et reorum crimen et iudicum.

Quod pertinet ad reos, illud est: inutiliter loquens adfert illis periculum damnationis. Quod autem refertur ad iudices, hic intellegere[c] debemus magnam illis invidiam simul et infamiam comparari ab litigatoribus, *si* corrupti pecunia existimarentur. Quoniam hoc falso iactaverit Clodius pretium sententiarum iudicibus esse tribuendum, cum tamen eandem pecuniam ipse intercepturus acciperet.[d]

Tuam quæ . . . non tu omne differas.

" tur a senatu iudicatum, me non modo non ementitum esse autori-
" tatem eius ordinis, sed etiam unum post urbem conditam dili-
" gentissime senatui paruisse?

[a] Revera et ipse Pompeius post necem Clodii factus consul, statim Milonis causa duas leges promulgavit *de vi*, et *de ambitu*. V. Asconium in Argumento Milonianæ, p. 187. Et de his capitibus Milo accusatus est V. p. 190. eiusdem Asconii.

[b] Cod. *Facto supra . . . per eas*, etc. . . . spatio interiecto.

[c] Sic Cod. pro *intelligere*. V. ad Orat. pro Tullio, p. 29. N. I.

[d] Etiam hîc resculpit Cicero illam corruptionem Iudicum in Causa de stupro. Et recole omnino extremum Fragmentum Orationis *in P. Clodium et Curionem* cum eius Commentario.

Hoc in narratione Milonianæ defensionis[a] plenius ostendit, Clodium petitorem fuisse præturæ. Cumque animadverteret comitia non sic procedere, ut Kal. Ianuariis posset inire præturam, maluisse desinere a petitione. Hoc ergo Tullius arripuit, omnibus esse miraculo, quod non differat etiam præsenti anno petitionem, quod iam semel fecerit. Solebant autem impediri comitia per dissensionem Magistratuum.

NEC SUFFRAGIA DABIS QUIBUS OSTENTAS.

Comminatur et[b] denuntiat se actionibus eius adversarium futurum nec in . . . onem cum Pompeio discessurum. Laturus autem de suffragio libertinorum .P. Clodius legem videbatur,[c] ut et istorum in censum[d] æqualiter perveniret. Nec vero illa . . . libertate . . . cis me . . . oratione quæ habita est pro Milone, nuper *occiso Clodio*.

DE NOSTRORUM OMNIUM NON AUDEO TOTUM

---

[a] Cap. ix.

[b] Codex "comminatur se et denuntiat actionibus eius, etc."

[c] Ait Asconius, p. 203. ad Orat. *pro Milone* XXXII. *Incidebantur iam domi leges, quæ nos nostris servis addicerent.* "Significasse iam "puto nos, fuisse inter leges P. Clodii, quas ferre proposuerat, eam "quoque qua libertini, qui non plus quam in urbanis tribubus suf- "fragium ferebant, possent in rusticis quoque tribubus, quæ pro- "priæ ingenuorum sunt, ferre." Ego, ut sæpe dixi, me Asconii Commentarium invenisse autumo; et en locum in quo Asconius se ante significasse inquit eam legem, quam ferre Clodius proposuerat *de libertinorum suffragio* : significaverat enim, ut mihi plane persuadeo, in Commentario ad hanc Orationem *de Ære alieno Milonis*, quæ tum materia, tum tempore proxime præcedit Orationem olim editam *pro Milone*.

[d] Dubiæ lectionis in Codice sunt ea verba, quibus puncta subscribimus.

DICERE. VIDETE QUID EA VITII LEX HABITURA FUERIT, CUIUS PERICULOSA ETIAM REPREHENSIO EST.[a]

Opinio erat legem . . . prætura seru*m* . . te . . . . . liarum.

QUIS NON MEMINERIT PUERITIAM TUAM?

Interrogatio asperitatis invidiæque plenissima, cum descriptione personæ qua mores eius inluminat, quem non magis timeri oporteat, quam despici tot vitiorum fœditatibus inquinatum. Cetera hic explananda non sunt, quæ satis in præcedentibus diximus.

ITERUM A PIRATIS REDEMTUM.[b] QUO ENIM NOMINE APPELLEM EOS, QUI TE PRETIO ACCEPTO LIBERAVERUNT?

Significat Iudices eos qui accepta pecunia reum de incesto absolverant Clodium, ut et ipsi pira*tæ* . . . . turæ.

---

[a] Semper lex *de suffragio dando libertinis*, ab optimatibus saltem, perniciosa existimata est. Primus eam tulit Appius Claudius Censor anno U. C. CDXLI. Tum antiquata est, tum vicissim relata. V. Sigonium *de antiq. iur. civ. rom.* Lib. II. cap. XIV. Tullius quoque eam hîc vituperat.

[b] Narrat Dio Lib. XXXV. 17. P. Clodium in bello piratico, cum præfectus esset classi in Cilicia a Marcio eius sororis viro, captum a piratis fuisse. V. eumdem Dionem Lib. quoque XXXVIII. 30. Eam captivitatem Clodio obiicit Tullius etiam in Orat. *de Harusp. Resp.* XX. 42. quo in loco, prorsus ut hîc, ab eius pueritiæ vitiis ad hanc probrosam captivitatem progreditur. "Qui post patris mortem "primam illam ætatulam suam ad scurrarum locupletum libidines "detulit: quorum intemperantiâ expletâ, in domesticis est germa-"nitatis stupris volutatus: deinde iam robustus provinciæ se ac rei "militari dedit, atque ibi piratarum contumelias perpessus, etiam "Cilicum libidines Barbarorumque satiavit." Iterum ei Tullius captivitatem eamdem exprobrat I. ad Attic. XVI. "Narra, inquam, "patrono tuo, qui Arpinates aquas concupivit: nosti enim marinas." Quo extremo orationis membro Clodio marinam calamitatem exprobrat.

NISI VERO LINIAMENTA HOMINIS ET NOMEN[a] FIGURIS POSITUM, NON NATURIS PUTAS.

Definiti hominis proprietatem non liniamentis corporum, sed animorum qualitatibus æstimandam.

TUM HABUISTI QUASDAM FORMIDINES, QUÆ[b] QUASI CORNUA QUÆDAM EXCIDERUNT IMPLETA.[c]

. . . *quæ* .P. Clodio ad feræ alicuius belluæ similitudinem adscribsit.[d] Etiam hoc in exitu posuit cornua illi, quæ habuisse quondam videbatur, nunc esse dilapsa : ut nimirum sensus ille sit, magis iam contemni Clodium quam timeri.

NON ENIM VIDERUNT, QUOS IPSI EXTURBARANT, EOS IN CIVITATEM RESTITUTOS.[e]

.C. Gracchi et Saturnini exempla intulerat, quorum alter in Adventino[f] interfectus est, alter Capitolio deductus cum Glaucia prætore iugulatus. Post quorum necem restitutos in civitatem significat .P. Popilium qui Graccho cesserat, et .Q. Metellum Numidicum, qui ut violentiam .L. Apulei subterfugeret, exolaverat.

---

a Codex " hominis nomen et figuris."

b Supplevi *quæ*.

c An hæc similitudo petitur a luna, cuius cornua tum decidunt, cum ea plena fit? Sed enim noster Interpres similitudinem probabilius refert ad feram.

d Codex " Qua P. Clodium ad fere alicuius beluæ similitudinem adscribsi."—[" *Beluæ* non erat in *belluæ* mutandum."]

e Hunc locum Ciceronis, cuius tantum particulam servavit noster Interpres, puto fuisse simillimum loco *de Harusp. Resp.* XX. 43. ubi item sermo est de Gracchis et Saturnino: et is locus ibi consequitur proxime alium locum similem item fragmento, quod mox exhibuimus, p. 40. de Clodio a piratis capto.

f Codex *in Advento*.

Gloriatur ergo suo nomine, quod vivente inimico suo Clodio restitutus sit.

QUI ARMIS CESSISSEM VEL TUIS URBANIS,[a] VEL, UT OPINIO TUM ERAT, ALIENIS.[b]

Acerbitas est qua . . . invidiam . . . iamdiu . . . Milo . . .

infirmior fides reconciliatæ gratiæ. Sed hic oratorie valde, nequis existimaret quasi bonum virum[c] iudicatum a Pompeio *eum*, cum quo exercere desierit simultates;[d] invigilavit Tullius, ut eum virum cautissimum diceret, qui non magis de fide Clodii et innocentia, quæ nulla sit, quam de providentia habeat securitatem vitæ, cum eius insidiis decipi possit.

Explicit Oratio.[e]

---

[a] Codex videtur habere *utmanis.*

[b] Forte Cæsarem indicat Tullius, qui, ut narrat Plutarchus in *Cicer.*, Cladium adiuvit ad Ciceronem expellendum.

[c] Codex "quasi bono viro iudicasse Pompeium cum quo, etc."

[d] Acta est hæc causa *de Ære alieno Milonis*, ut dixi, eo ipso anno quo Clodius deinde occisus est. Iam vero Pompeium eo tempore non prorsus fuisse animo alieno a Clodio, patet ex Asconii Argumento Milonianæ præposito, ubi dicitur Cicero potuisse offensionem inimicæ multitudinis declinare, redimere etiam Gn. Pompeii animum, si paululum ex studio defendendi Milonis remisisset. Et Pompeius ne olim quidem adversus Clodium adiuverat Ciceronem, quum hunc ille tribunus in exilium compelleret. V. Plutarchum in *Cicer.* Immo Pompeius Clodio olim faverat V. 1 ad Famil. epist. ix. Et recole superius, p. 36 extremam partem Notæ 1.

[e] Certum est hic explicere Orationem *de Ære alieno Milonis.* Nam in eadem Columna subiiciuntur verba: Pro *A Licinio incipit feliciter.* Nempe pro *Archia.*

ORATIONIS TULLIANÆ
DE REGE ALEXANDRINO
PARTES INEDITÆ
CUM ANTIQUO COMMENTARIO
ITEM INEDITO
QUI VIDETUR ASCONII PEDIANI.

EDITORIS MONITUM.

---

*P*TOLEMÆUS *Auletes Ægypti rex, quum sibi timeret a suis, Romam aufugit, ibique effusis largitionibus agere cœpit, ut sub Imperii romani tutela in regnum reduceretur. De re actum est in Senatu, ibique etiam Cicero sententiam dixit, ut ex Epistolis pluribus (in Lib. I. ad Famil.) ad Lentulum Ciliciæ Proconsulem cognoscere licet. Lentulo enim Cicero in Senatu contendebat, ut Ptolemæi regis reductio decerneretur: quod patet etiam ex Epist. II. Lib. II. ad Q. Fratrem. Idque prorsus videtur fuisse argumentum huius Orationis Tullianæ* de Rege Alexandrino: *cuius apud Aquilam voc.* Antisagoge, *et Capellam cap.* de Sententiarum Figuris, *unica et brevis hæc Particula extabat:* DIFFICILIS RATIO BELLI GERENDI; AT PLENA FIDEI, PLENA PIETATIS. *Et quidem Aquila et Capella dicunt hanc Orationem* de Rege Ptolemæo. *At Fortunatianus, qui bis eam nominat in* Partitione *et in* Hypophoris, de Rege Alexandrino *nuncupat, ut et noster Codex Ambrosianus. Nos plures huius Orationis ineditas Particulas, mutilo Commentario item inedito infusas, in lucem producimus. Constat autem ex Dione Lib.* XXXIX. 12. *et ex Ciceronis Epist. I. Lib. I. ad Famil., hanc Causam Alexandrinam actam esse anno U. C.* DCLXXXXVIII. *C. Cornelio Lentulo Marcellino et L. Marcio Philippo Coss.: ad quam bene cognoscendam multum intererit, conferre eiusdem Tullii Orationem* pro Rabirio Postumo.

ORATIO

De Rege Alexandrino.

. . . privatis erubescendum.

Ut rapiat, ut latrocinetur.

Vehementibus et invidiosis verbis utitur. Non dixit, ut exposcat hereditatem, ut sibi vindicet; sed quo vel maxime pudor consterneretur audientium, ut rapiat, inquit, et latrocinetur. Quæ sine dubio non iuris verba sed sceleris, ab huiusmodi cupiditate deterreant.

Si hercle in nostris rebus tam ad res, tam ad pecunias[a] adtenti, tam avari soleremus esse.

Dicere quidem generaliter videtur, etiamsi in privatis pecuniis avari homines essent, in publicis tamen disceptationibus non oportere tantam cupiditatem pecuniæ profiteri. Sed procul dubio nihil aliud[b] agit, quam ut M. Crassi mores denotet, de quo præter historiam [c] præterque exitum mortis eius, in

---

[a] Cod. "Tam ad res, ad pecunias tam adtenti, tam avari," etc. Porro notissimum est quantam vim pecuniæ profuderit Romæ Ptolemæus, ut sibi senatum conciliaret.

[b] Cod. *aliut*. Recole ad Orat. *in Clod. et Curion.* p. 17. n. 1.

[c] Confer Plutarchum in *Crasso*, Appianum *de bello Parth.* Dionem, Lib. XL. 12. Quamvis hæ cunctæ historiæ posteriores sunt Commentario, quem modo nos edimus, siquidem is est Asconii. Et Crassum quidem de Causa Ptolemæi dixisse in senatu sententiam, patet ex Ciceronis 1. ad Famil. Epist. 1. "Crassus tres legatos decernit."

quam[a] præceps quodammodo ruit, cum ad diripiendas Parthiæ urbes opulentissimas Eufratem[b] transisset; etiam ipse Tullius auctor est libro tertio de Officiis,[c] cuius verba inferam, quo magis quid de moribus eius iudicarit, appareat. Sic enim mihi textum recordor.—" Itaque si vir bonus habeat hanc vim ut si digitos " concrepuerit, possit in locupletum testamen" ta nomen eius irrepere, hac vi non utatur, " ne si exploratum quidem habeat, id omnino " neminem umquam suspicaturum." Deinde subicit: " At dares hanc vim M. Crasso, ut " digitorum percussione heres[d] posset scriptus " esse, qui revera non esset heres, in foro, mihi " crede, saltaret." Sed tamen,[e] quæ sunt nostra iudicia, temtaverat Crassus adseverare, non semel de hac Ægypti severitate,[f] sed frequentissime præiudicatum.

Ac primo quidem illo tempore, quo pecunia repetita esse ab Tyro, et[g] advecta

---

[a] Cod. *in qua.*

[b] Ita sine adspirata. Vide dicta ad Orat. *in Clod. et Curin.* p. 11. n. 2.

[c] Cap. XIX.

[d] *Heres, hereditas* vidi semper sine diphthongo in antiquis Codd.

[e] Pluto hæc verba Asconii potius, quam Ciceronis. Ceterum Andreas Patricius iam nos monuit, sæpe in Asconio male discerni Asconii verba a verbis Ciceronis. V. Edit. Lugd. Batav. Asconii anni 1675. p: 284. Vide idem monitum etiam in calce Edit. Paris. anni 1520.

[f] Forte in expellendo Rege.

[g] Cod. *Aptirei sed*, corruptissime. At hunc locum mirifice declarat ipse Tullius in Orat. II. adversus Rullum XVI. ubi agit de regis Alexandri, qui mortuus est exul Tyri, testamento, quo Populum Romanum regni hæredem scripserat, quod tamen regnum Ro-

ROMAM VIDEBATUR, SEPOSITA IAM NUPER AB ALEXA[a] REGE. OCCURRENDUM EST IGITUR UT HÆC REFUTENTUR ET IN IPSA PROPOSITIONE.[b]

Insigniter factum est, quod his verbis ingredi cœperit, *quæ* debent esse modestissima.

QUONIAM QUIDEM EST HOC SUMMI IMPERII NOSMET IPSOS DE NOSTRIS REBUS IUDICARE.[c]

Nam vult Orator intellegi, pene inpudenter senatum de causa sua iudicare voluisse, cum sit naturale, ut unusquisque non possit æquitatem tueri, de lucro suo potissimum cogitans,

---

mani, ne avidiores viderentur, Ptolemæo Auletæ permiserunt. "Video qui testamentum factum esse confirmet: auctoritatem "Senatus extare hæreditatis aditæ sentio, tum, quando Alexandro "mortuo legatos Tyrum misimus, qui ab illo pecuniam depositam "nostris recuperarent. Hæc Lucium Philippum sæpe in Senatu "confirmasse memoria teneo. Eum (*Ptolemæum Auletem*) qui re-"gnum illud teneat hoc tempore, neque genere, neque regio "animo esse, inter omnes fere video convenire. Dicitur contra "nullum esse testamentum: non oportere Populum Romanum "omnium regnorum appetentem videri."

[a] Petavius de Doctr. Temp. Lib. x. cap. XLVIII. x. loquens de Fratre Ptolemæi Lathuri Alexandro, patre utriusque Alexandri, qui post Ptolemæum Lathurum secundo regnantem regnaverunt, hæc ait: "Nonus ergo regnavit Alexandriæ Ptolemæus Alexander, quem Alexam Epiphanius, Chronicon Alex., "Cedrenus, et ali nominant" Quibus adde iam Ciceronem. Nisi forte Cicero hîc vocat *Alexam* etiam Alexandrum III. huius filium qui Tyri exul extinctus est: quem tamen in Agraria superius citata *Alexandrum* dicit.

[b] Puto huc usque esse verba Ciceronis, nam postea relinquitur spatium, tum incipit *Insigniter*, etc. Ceterum libenter verba *et in ipsa propositione* transferrem in Commentarium sic: "Et in ipsa propositione insigniter factum est, etc. Vide superius, p. 46. n. 5.

[c] Nempe num testamentum Alexandri regis, quo Populum Romanum scripserat regni hæredem, ratum habendum sit, nec ne. Recole notam 7. pag. præc.

quod plerumque cogitatur[a] etiam cum inprobitate deposcere.

QUI EX HEREDITATE TANTA UNUM SOLUM NOMEN[b] AGNOVERIMUS.

Cito rapuit pro se argumentum, iudicasse quodammodo . . . .

. . . .[c] ut bellum gerendum esse censeret, qui mentionem pecuniæ fecerat.[d]

SIC EST IUSTA CAUSA BELLI, SICUTI CRASSUS COMMEMORAVIT CUM IUGURTHA FUISSE.[e]

Notissimum est Micipsa rege Numidiæ mortuo, trifariam inter Atherbalem et Hiempsalem et Iugurtham regnum esse divisum, quos tamen duos ipse Iugurtha partim vi, partim vero insidiis interfecit. Hæc illi fuit causa præcipua bellum gerendi adversus Populum .R. Qui tamen post multos imperatores graviter adflictos, ad extremum .C. Mario imperatore superatus est.

NON PATIAR HANC EXAUDIRI VOCEM HUIUS IMPERII: EGO TE NISI DAS ALIQUID, HOSTEM;

---

[a] Forte corrigendum est *cogatur*.

[b] Nomen hoc loco est *caput rationum*. Dicit Cicero: ex hæreditate integri regni eam unam pecuniam percepimus, quæ de thesauro Alexandri mortui Romam Tyro advecta est. Regnum quippe Romani permiserant Auletæ.

[c] Puto hîc esse lacunam. Certe est initium alius folii.

[d] Suspicor hoc etiam dictum adversus Crassum avarissimum hominem. Certe is bellum quoque parthicum, una pecuniæ aviditate, invitis ipsis Romanis, nullam causam præbentibus Barbaris, suscepit: ut luculenter testantur Plutarchus, Appianus, et Dio.

[e] Recte Cicero in Causa regis Ptolemæi, qui largitionibus sententias senatorum emebat, meminit et Iugurthæ qui idem olim fecerat, ut scribit Sallustius.

SIQUID DEDERIS, REGEM ET SOCIUM ET AMICUM IUDICABO.

Ad tuendam rationem pudoris exsequitur non decere populum .R. has potestates regias nundinari, ut obiecta quadem senatui facie turpitudinis, id vel maxime faciendum esse persuadeat, quod sit congruens honestati.

CUM ILLE REX [a] SIT INTERFECTUS, HUNC PUERUM [b] IN SYRIA FUISSE.

Hæc sumuntur de locis coniecturalibus, qui sunt primi videlicet in huius status divisione a voluntate et facultate. Nam quod peritiam [c] facit meliorem voluntatis, est non potuisse Ptolemæum kapitalibus odiis dissidere, quem puerilis infirmitas ab huiusmodi obstinatione revocaret. Facultatis est autem quod ait in Syria fuisse, ut absens moram non habuerit illius interficiendi, quem dicebatur interemisse.

ATQUE ILLUD ETIAM CONSTARE VIDEO REGEM ILLUM CUM REGINAM SOROREM [d] SUAM,

---

[a] Alexander II. rex Ægypti, de quo Appianus Bell. civ. Lib. I. p. 690.

[b] Ptolemæum, qui dictus est Auletes. Hunc autem puerum fuisse in Syria dicet statim etiam Interpres.

[c] Cod. *peritiæ*.

[d] Alexander II. Ægypto rex datus a Sylla, statim duxit uxorem Berenicem, quod indicat et Appianus Bell. civ. Lib. I. p. 690. Hæc erat eius soror patruelis, quia filia Ptolemæi Lathuri, teste Pausania in Attic. cap. IX. Ipse ante Alexander II. filius Alexandri I. fratris Lathuri. Hanc sororem et uxorem occidit Alexander II. ut hoc loco confirmat Cicero: et quidem recentem a nuptiis; nam ipse-quoque Alexander decimo nono die, ex quo regnum eâ sibi copulatâ inierat, a populo Alexandrino concitato interemptus est. V. iterum Appianum loco paulo ante citato. Successit Alexander III. fràter ut videtur Secundi, isque regnavit annis XVI. Tum

CARAM ACCEPTAMQUE POPULO MANIBUS SUIS TRUCIDASSET, INTERFECTUM ESSE IMPETU MULTITUDINIS.

Congestis valde præparationibus fidem facit, ut hanc cædem a populo[a] magis Alexandrino factum probaret, non Ptolemæo iubente commissam. Notemus enim gradatim fieri argumenta, quæ prægravent suspicionem ad populares impetus pertinentem. Nam cœpit ad hunc modum "atque illud etiam constare video" ut de veritate non sit ambigendum, si constet aput omnes. Dein subdidit "cum reginam sororem suam" ut atrocitas parricidii, et multo maior in exitio reginæ omnibus fuerit horrori. Post hæc adiecit eandem "caram . . . . .

Reliqua desiderantur.

---

pulsus regno ab Alexandrinis, Tyrum secessit, ubi condito testamento, quo Ægypti hæredem Populus Romanum faciebat, extinctus est. Interea nihilominus regnavit Alexandriæ Ptolemæus Auletes, is qui deinde Romam profugit, et de quo scilicet habita est hæc Oratio Tulliana.

Alexandrum III. plerique Scriptores confundunt cum II. Sed eos vide satis accurate distinctos apud Petavium de Doctr. Temp. Lib. X. cap. 48. Et quidem quum Appianus loco nuper laudato dicat Alexandrum regem Alexandri regis filium occisum die XIX. post initum regnum; constet autem aliunde Alexandrum, qui ultimus hoc nomine appellatus est, mortuum esse Tyri in exilio; restat ut ille occisus sit Alexander II., hic exul III.

[a] Cod. "A populo .R. magis Alexandrino" Sed .R. additum est mendose a librario, ex consuetudine scribendi de *Populo Romano.*

IN

ORATIONEM EDITAM TULLIANAM

PRO .A. LICINIO ARCHIA

COMMENTARIUS ANTIQUUS INNEDITUS

QUI VIDETUR ASCONII PEDIANI.

EDITORIS MONITUM.

Ad Orationes Ciceronis pro Archia, pro Sylla, pro Plancio, *et* in Vatinium *nulli extabant antiqui Commentarii. Nos integrum ad Priman Commentarium cum Argumento; ad Secundam et Tertiam mutilum quidem, sed satis spatiosum; ad Quartam denique mutilas et paucas, sed tamen aliquas Commentarii reliquias, felici Invento e tenebris eruimus.*

Pro .A. Licinio incipit Feliciter.

ARGUMENTUM.

.*A. Licinius Archias*[a] se studiis poeticis dedidit, et adprime, ut videbatur, excelluit in hoc genere litterarum. Amicitia igitur etiam viris inlustribus familiariter copulatus est, ut ipse .M. Tullius in Orationis huius narratione *confirmat.*[b] *Interim satis longo intervallo cum esset cum .L. Lucullo in Siciliam*[c] *profectus, et cum ex ea provincia cum eodem .L. Lucullo regre*deretur, Heracleam venit, quæ tunc erat civitas fœderata, et adscribtus est in ordinem Heracliensium civis. Tunc Silvanus et Carbo Cos. legem tulérunt, ut omnes qui essent ex fœderatis populis civitatem romanam consequerentur: si modo illo tempore quo lex lata esset, domicilium in Italia haberent, et intra diem sexagensimum[d] professi aput prætorem fuissent. Quæ cum Licinio Archiæ ad ob-

---

[a] Spatium vacuum in Codice, quod replevi nominibus Poetæ.

[b] Quæ sequuntur in Codice ita sunt oblitterata, ut legi nequeant usque ad *debetur*, quod nos fecimus *deretur*, ut fieri posset *regre*deretur. Reparavimus autem lacunam verbis ipsius Narrationis Tullianæ cap IV. Neque multum amisimus in loci oblitteratione, quæ non plus spatii in Codice occupat, quam nos verbis Tullianis explevimus.

[c] Aut *Cilicium*, ut alii malunt.

[d] Ita in Cod. *sexangesimum*, [*sexagensimum?*]

tinendum ius civitatis romanæ argumenta deessent, quoniam neque tabulis Heracliensium probare poterat adscribtum se in ordinem civium; quippe tabularium Civitatis illius exarserat bello sociali, nec bona sua in censum detulerat; reus factus *est* lege Papia quæ lata fuerat ad eos coercendos, qui temere et inlicite civitatem romanam usurpassent. Fit ergo quasi coniecturalis,[a] an adscribtus sit in ordinem[b] Heracliensium, et an fecerit omnia quæ is facere debuerit, qui esset e numero fœderatorum. Et deficitur quidem multis probationibus; testimonio tamen Heracliensium, et vel maxime, quibus tota occupatur oratio, poeticæ facultatis et doctrinæ iucundissimæ gratia nititur. Est etiam, omissa coniectura, disceptatio per ipsam qualitatem personæ, *ut* civis romanus debeat adoptari, etiamsi in præteritum non sit adscribtus.[c]

ORATIO.

Verburgii Edit. in fol. Amstelædami 1724. N. 3.

CUM RES AGITETUR[d] APUT PRÆTOREM P.R. RECTISSIMUM VIRUM.

Hanc enim causam lege Papia de civitate romana aput Quintum Ciceronem dixit Archias huius .M. Tulli fratrem.[e] Quaprop-

---

[a] Nisi mavis *coniecturá lis,* quod minus placet.
[b] Codex *in eodem.*
[c] Cod. *adsocius.*
[d] Codex *agitatur.*
[e] Hoc anno Urbis DCXCII. (seu potius DCXCIII.), quo causa pro Archia perorata est, notavit iam Fabricius in Hist. Cicer. ex Epist. XII. Lib. 1. ad Attic. Quintum Ciceronem fuisse prætorem.

ter[a] utitur *deprecatione,* ne minus civiliter loqui existimetur, recedens videlicet aliquantum a forensi genere dicendi. Quod ipsum ne pro inepto accipiatur, iam præloquitur, a modo præsentis causæ non abhorrere, et personæ vel maxime, pro qua dicendum esset, convenire.

Hoc denique Prætore exercente iudicium. Edit. N. 4.

Non vacat quod mentionem facit Prætoris ipsius, id est Fratris sui .Q. Ciceronis, qui iudicio præerat. Opportunissimum quippe, ait de laudibus poetæ boni aput eum dicere qui studiis huiusmodi delectetur. Fuit enim .Q. Tullius non solum epici, verum etiam tragici carminis scribtor.[b]

Itaque hunc et Tarentini et Rhegini et Neapolitani civitate cæterisque præmiis donarunt. N. 5.

Utiliter præparavit ad causam, iam pridem hunc Archiam poeticæ facilitatis gratia celebrem a plurimis Italiæ nobilissimis populis in numerum civium cooptatum. Quod nimirum argumento esse debeat, etiam Heracliensibus nuper adscribtum, robustiorem iam fama, et in-

---

Nunc iam ex nostro Interprete apparet, Marcum apud ipsum Fratrem prætorem hanc Orationem dixisse.

[a] Codex *Quia propter.*

[b] Q. Ciceronis extant versus epici viginti *de Signis cælestibus, quo quodque tempore illustre sit.* Adde etiam, si placet, Epigramma *de mulierum levitate,* quod edi solet in calce Petronii, et a quibusdam Q. Ciceroni tribuitur. Sed en iam in nostro Commentario memoria etiam tragici Carminis ejusdem Auctoris.

genti dignitate maiorem[a]. Fuerunt autem urbes istæ de quibus loquitur *a* quibusdam Græcis[b] tribubus conditæ.

QUORUM ALTER RES AD SCRIBENDUM MAXIMAS, ALTER CUM RES GESTAS, TUM ETIAM STUDIUM ATQUE AURIS ADHIBERE POSSET.

.C. Marium Iugurthinum, qui ad consulatum septimum provectus est, non ignoramus a doctrinæ studiis alienum,[c] et sola rei militaris scientia floruisse. Quintum vero Catulum non mediocriter litteris liberalibus informatum. Sed eleganter utique Archiam facere potuisse in hac parte narrationes ostendit, quia præstiterat .C. Marius eas res, quæ satis uberem materiam scribentibus darent. Catulus autem et rebus gerendis floruerat, et habilis auditor erat.

Edit. N. 6. ERAT TEMPORIBUS ILLIS IUCUNDUS .Q. METELLO ILLI NUMIDICO, QUI DE IUGURTHA TRIUMPHAVIT, ET EIUS PIO FILIO.

Hic Metellum *patrem in exilium pulsum pie luxit, ac pro eo revocando populum deprecatus est.*[d]

AUDIEBATUR A .M. ÆMILIO.

---

[a] Cod. *maiore*, quod utique retinuissem, nisi Codex passim mendis laboraret. Memini enim quid Quintilianus de M finali a Veteribus subtracta scribat, Lib. IX. cap. IV. "Et illa Censorii Catonis: *Die' hanc*, M litera in E mollita. quæ in veteribus libris "reperta, mutare imperiti solent: et dum librariorum insectari volunt inscitiam, suam confitentur."

[b] Cod. *grecies.*

[c] Cod. *in doctrinæ studiis.* Sed Codex scatet mendis.

[d] V. Cicer. *de Orat.* II. cap. XL. *Post Red. ad Quir.* III. *in Sen.* XV.

.M. Æmilium Scaurum hac in parte significat et ipsum multæ eruditionis ut historia de illo habet.[a]

CUM QUINTO CATULO PATRE ET FILIO.

Ambo Cinnæ *et Syllæ bello civili impliciti* sunt.[b]

A .L. CRASSO COLEBATUR.

Ea ætate hic etiam cum maxime in studiis eloquentiæ floruit.[c]

LUCULLOS VERO.

Significat *Marcum* et Lucium, quorum *alter iudiciis exercendis, alter bello Mithridatico illustris fuit.*[d]

ET DRUSUM.

Significat .M. Livium Drusum Tribunum pl. " qui cum senatus partes tuendas suscepisset,

---

[a] Codex *De illis haberet.* Porro ait Cicero in *Bruto* XXIX. "Huius (Scauri) et Orationes sunt, et tres ad L. Fufidium libri scripti "de vita ipsius acta, sane utiles, quos nemo legit." Obiter etiam moneo exstitisse librum logistoricum Varronis inscriptum *Scaurus.* V. Fabricii Bibliothecam lat. in *Varrone.*

[b] Q. Catulus pater princeps fuit Syllanæ factionis, ut ait Asconius ad I. in Verr. p. 108. Mario iubente ipse se vita privavit. V. Appianum Lib. I. Bell. civ. p. 663. Locus in Codice oblitteratus sic habet " Ambo Cinnæ . . . minati C . . . sunt."

Q. Catulus filius Lepidum acta Syllæ rescindere conantem, bellumque patriæ inferentem, armis repulit. V. Livii Epitomen XC. et Appianum Bell. civ. Lib. I. p. 695. De hoc Sallustius in Oratione Macri ait: " Sulla mortuo, qui scelestum imposuerat servitium, " finem mali credebatis. Ortus est longe sævior Catulus."

[c] De L. Crasso oratore plurima scribit Cicero in Libris *de Orat. et* in *Bruto.*

[d] De Marco V. Fragmenta Orationis Ciceronis *pro Tullio* a nobis nuper edita, p. 25. De Lucio Plutarchum in *Lucullo,* Codicis locus oblitteratus sic habet: " Significat (suppl. *Marcum*) et Lucium " quorum . . . dem . . . Antonia . . . ri . . . da . . . arunt."

"postea eo licentiæ est progressus, ut nullum "in iis modum servaret."[a]

Et Octavios.

Alter est .Gn. Octavius Octavi filius, quem post bellum civile nuper Collegam suum .L. Cinna victor occidit[b] Alter vero .Gn. Octavius .M. Octavio patre qui consulatum cum Scribonio Curione gessit.

Et Catonem et totam Hortensiorum domum.

Patrem Catonis significat eius, qui se post civile bellum Uticæ interfecit .*L.* Hortensio[c] autem *filius fuit* .Q. Hortensius qui temporibus .M. Tulli, quamvis ætate provectior, *non*[d] tamen famosior, oratoris nomen obtinuit. Densitas igitur hæc exemplorum, quæ ad personas nobiles refertur, multum præsenti negotio patrocinatur, ut Archias tot Amicis et tam inlustribus nixus perquam facile *ad* honorem civitatis romanæ potuerit pervenire.

Edit. N. 8. Hic tu tabulas desideres[e] Heracliensium, quas interisse scimus omnes.

---

[a] Explevimus lacunam ex Asconio ad Orat. pro Cornel, p. 131. quoniam locus in Codice integer legi nequit. Sic enim se habet: " Nobilis . . . Drusi exi . . . senatus . . . qui postea . . . ta do . . . est."

[b] Idem narrat Asconius ad Orat. pro Scauro, p. 174.

[c] Cod. Sic: *Hortensio . . . autem Q. Hortensius.* etc. relicto spatio. Sed supplendum fuit. ut fecimus. Patrem autem Oratoris fuisse Lucium testatur Cicero III. in Verrem XVI.

[d] *τὸ non*, abest a Codice, sed videtur supplendum. Nam Tullius revera, quamvis iunior, Hortensio famosior evasit.

[e] Sic Cod. *desideres.*

Id quod derivat in aliam causam, qua effectum sit ne exhiberi veræ possent, id est propter incendium, quod evenerat bello sociali.

GABINII QUAMDIU INCOLUMIS FUIT. Edit. N. 9.

Aulus Gabinius damnatus fuerat de pecuniis repetundis, quod acceptis decem millibus talentum ab Rege Ptolemæo, duxisse romanum exercitum in Ægyptum diceretur.

CENSUS NOSTROS REQUIRIS. N.

Etiam hoc argumento deficiebatur Archias: nec poterat is probare, cum cæteris civibus romanis aput præcedentium temporum censores bona sua professum. Et hoc coloratur absentiæ adlectione,[a] quod eum constet illis censoribus et Romæ non fuisse, ac propterea censum non detulisse.

CUM .L. LUCULLO APUT EXERCITUM FUISSE.

In Asia scilicet tempore belli Mithridatici.

ET TESTAMENTUM SÆPE FECIT NOSTRIS LEGIBUS.

A partibus ad totum. Rebus gestis quamplurimis Archiam signa edidisse Civis .R. quæ non poterat habere peregrinus.

QUANTUM DENIQUE ALEÆ QUANTUM PILÆ.[b] N. 13.

Sunt enim hæc, ut vulgo comperimus, genera ludorum.

QUIS ANIMO TAM AGRESTI ET DURO FUIT, UT ROSCI MORTE NON MOVERETUR? N. 18.

---

[a] Codex sic *adlectione*, nec male.

[b] Pro hoc textu Codex habet: *Quia eloqui pila*, corruptissime.

Quintum Roscium Gallum dicit illis temporibus inlustrem comici operis auctorem, quem familiarissime Cicero dilexit, qui non *ita*[a] pridem vita excesserat.

Edit. N. 20. ILLE MARIUS IDEM[b] EXIMIE .L. CLODIUM[c] DILEXIT.

Hic primus Romæ studia latina docuit.

N. 22. ERGO ILLUM QUI HÆC FECERAT RUDINUM HOMINEM.

Natione Rudinus fuit[d] Ennius, quem superior Africanus dilectum familiarissime etiam communicato sepulchri honore in Maiorum suorum numerum redegit. Sepulchrum fuisse traditum extra portam Capenam mille fere passibus ab Urbe seiunctum.[e]

N. 24. QUID NOSTER HIC MAGNUS?

---

[a] Cod. *qui non a pridem* relicto spatiolo. Visum est supplendum *ita*.

[b] Forte corrigendum *item*, ut editiones habent.

[c] Codex aperte L. Clodium. Et quidem Clodius (sed cum prænomine Servius) recensetur a Svetonio inter claros Grammaticos gener Lucii Ælii item Grammatici, qui Q. Metellum Numidicum in exilium comitatus est. Ergo Clodius ad Mariana tempora pertinet. Clodius Licinius historicus circa eadem tempora memoratur a Livio Lib. XXIX. Clodius Historicus item a Servio et Plutarcho V. Vossium de Historic. lat.

Sed vulgata lectio Ciceronis habet L. Plotium aut Plautium. Porro L. Plautium primum Romæ docuisse latine, se puero, testatur Cicero in Fragm. Epist. ad Titinnium. Ergo quum noster quoque Interpres idem dicat ad hunc locum, videtur omnino legisse L. Plotium aut Plautium, non L. Clodium. Et quidem noster Codex est mendosissimus.

[d] Codex *Ratione Rudinus fuitque.*

[e] Revera anno demum post Ch. N. MDCCLXXX. decimo Kal. Iunias Ioannes Baptista Viscontius romanarum Antiquitatum Curator, Scipionum sepulchrum in Vinea Saxia detexit non longe a vetere porta Capena. Consule Diarium romanum *Cracas* eius temporis, et eiusdem Cl. Viscontii Epistolam in Anthologiæ romanæ Tomo VII. p. 377.

De .Gn. Pompeio dici manifestum. Et opportune, quoniam supra mentionem fecerat Macedonis Alexandri cui hoc idem cognomentum fuit, de Pompeio dicturus adiecit "hic "noster."

EPIGRAMMA IN EUM FECISSET TANTUMMODO ALTERNIS VERSIBUS. Edit. N. 25.

Ab exemplo adiudicando, non sine differentia tamen personarum, hæc argumentatio impletur; .L. Syllam præter ceteros Archiæ daturum civitatem romanam fuisse poetæ nobilissimo, quoniam malos plerosque existimaverit honorandos. Alternos igitur versus dicit elegiacos, metris scilicet dissentientibus varios. Primus autem videtur elegiacum carmen scribsisse Kallinos.[a] Adicit Aristoteles præterea hoc genus poetas Antimachum Colofonium,[b] Archilochum Parium, Mimnermum Colofonium, quorum numero additur etiam Solon Atheniensium legum scribtor nobilissimus.

EX HIS REBUS QUAS VENDEBAT IUSSIT ENIM[c]

---

[a] Cod. mendose *Aliinos*. Emendavi autem *Kallinos* græca forma servata pro *Callinus*. Et quidem huius poetæ nomen scribi corruptum etiam apud Pausaniam et Nicandri Scholiastem, iam notavit Vossius Inst. poetic. Lib. III. cap. 9. De Callino autem Elegiacorum poetarum principe V. Procli Chrestomathiam apud Photium Cod. 239. Item in Putschio Mar. Victorin. p. 2555. Tum p. 2420. Terentianum Marum, qui ita scribit:

Pentametrum dubitant quis primus finxerit Auctor.
Quidam non dubitant dicere Callinoum.

[b] Pro *Colophonium* V. ad Orat. in *Clod.* et *Cur.* p. 11. n. 2.

[c] Sic Cod. *enim*. Tum *prætium* cum diphthongo, quod et alibi sæpe vidi in antiquis Codd. nec non *præcor, præces, deprahendo*.

PRETIUM TRIBUI, SED EA CONDICIONE, NEQUID POSTEA SCRIBERET.

Non potuit expressius vitia poetæ declarare, quam dicendo datum illi non præmium laudis, sed mercedem silentii.

Edit. N. 26. ETIAM CORDUBÆ NATIS POETIS PINGUE QUINDAM SONANTIBUS.

De versiculis nec egregio cultu, nec amœna varietate, nec eminentibus figuris carmen instructum.

N. 27. DECIMUS QUIDEM BRUTUS.[a]

Hic Brutus Gallæcus fuit cognomento ob res in Hispania non minus strenue quam feliciter gestas . . Eius etiam nomini *dicatus*[b] poetæ tragici extat liber, cuius[c] plurimos versus, quos Saturnios[d] appellaverunt, vestibulo templi Martis superscribsit Brutus.

---

[a] Velleius Paterc. Lib. II. cap. V. ait: "Ante tempus excisæ "Numantiæ præclara in Hispania militia A. Bruti fuit: qui, pe"netratis omnibus Hispaniæ gentibus, ingenti vi hominum urbi"umque potitus numero, aditis quæ vix audita erant, *Gallæci* "nomen meruit." Porro pro *A. Bruti* legendum esse *Decimi Bruti*, vehementer affirmant Paterculi interpretes quorum sententiam Codex etiam noster veram esse demonstrat.

[b] Locum oblitteratum reparavi verbo *dicatus.*

[c] Cod. *qui.*

[d] Quinam sit versus Saturnius declarat Asconius ad Act. 1. in Verr. p. 54-55. Antiquum Nævii est:

Fato Metelli Romæ fiunt Consules.

Cui tunc Metellus Consul iratus versu responderat senario hypercatalecto, qui et Saturnius dicitur:

Dabunt malum Metelli Nævio poetæ.

Horat. Lib. 2. Ep. 1. v. 157. "Sic horridus ille Defluxit numerus "Saturnius." Et Festus in *Saturno* : "Versus antiquissimi, quibus "Faunus fata cecinisse hominibus videtur, Saturnii appellantur."

HUNC AD PERFICIENDUM ADORAVI.[e]

Hoc verbum adoravi significat cohortatus sum; adoravit autem orare et petere significat.

QUI VOS QUI VESTROS IMPERATORES, QUI .P.R. RES GESTAS SEMPER ORNAVIT. Edit. N. 31.

Epilogus valde conveniens personæ Rei, quo devotionem Licinii Archiæ commendat in rebus romanis[a] omnesque ingenii vires occupatas.

Explicit Oratio.

---

[e] Editiones habent *hortatus sum.* At noster Interpres legit *adoravi,* quod mira quadam explicatione declarat: nisi forte locus in insigni aliquo mendo cubat. Ceterum Asconius ad Lib. 1. in Verr. cap XXVI. POSCUNT MAIORIBUS mire item exponit. " Sunt, qui pro- " ducta scilicet O littera *poscunt* legunt, quasi *sæpe potant.* Sed " *poscunt, provocant* intelligendum est."

[a] Cod. *in rebus tram.*

IN

ORATIONAM EDITAM TULLIANAM

PRO SYLLA

COMMENTARIUS ANTIQUUS INEDITUS

QUI VIDETUR ASCONII PEDIANI

CUM INSERTO FRAGMENTO INEDITO ORATIONIS

.C. GRACCHI

DE LEGIBUS PROMULGATIS.

.... videatur adsciscere, ait se non periculum communicare sed laudem, nec ut plures periclitentur, sed ut multi æqualiter glorientur. Ad Verburgii Edit. N. 9.

In Autronium testimonium dixisti, inquit, Syllam defendis. Et relicum. N. 10.

Acutissimum torquet prope ad vim dialecticorum, ut adversarii propositio utrinque conclusa teneatur. Dixisti, inquit, in Autronium testimonium, et quodammodo nunc deficis a constantia tua, qui .P. Syllæ patrocinaris. Huic ita factæ propositioni[e] opponitur, ut animadvertis, acuta responsio. Si minus integre, inquit, testimonium dixi; nec defensioni meæ, quam nunc adgredior inesse debet auctoritas: si vero fides constitit mihi testimonium dicenti, cur non ab eadem fide etiam defensionis huius æquitas descendat? Et hic iam se animis Iudicum latenter insinuat, ut præsens defensio in testimonii vicem cedat.

Videor enim iam non solum studium ad defendendum causas, verum etiam opinionis aliquid et auctoritatis adferre.

Cavet[f] valde ne odium quoddam nimiæ huius adseverationis[g] incurrat. Facit enim periculum inpudentiæ, qui cum patronus sit, velit testis videri.

---

[e] Codex "Huic ita facta propositione."
[f] Spatium aut lituram Codicis opplevi verbo *cavet*.
[g] Codex *adservationis*.

Edit. N. 11. DUÆ CONIURATIONES ABS TE, TORQUATE, CONSTITUUNTUR.

Coniuratio diversi generis infertur geminata propositione: et fila .M. Tullio consultissima et non incuriosis lectoribus admiranda discretio; ut solum tempus ipse defendat coniurationis eius, quæ se consule deprehensa sit. Illud vero superius Hortensio patrocinante fateatur dilucide peroratum. Ita nec fit ulla iactura defensionis, quod illud superius tempus omittat, quoniam defendit Hortensius. Et cum hoc sibi potissimum velut privatim et peculiariter vindicet ad diluendum, magis existimetur testimonio niti quam probatione, defendens ea scilicet quibus ipse consul interfuit.

N. 12. ERGO ISTIUS CONIURATIONIS CRIMEN DEFENSUM AB EO EST QUI INTERFUIT.

Non contentus sibi uni vindicare testis auctoritatem, etiam in illo præcedentis coniurationis tempore, quoniam se non potest, vel ipsum testem constituit Hortensium. Sic contra iniuriam temporis utriusque non defensiones duorum, sed testimonia videntur opponi.

NON MODO ANIMO NIHIL COMPERI, SED AD AURIS MEAS ISTIUS SUSPICIONIS FAMA NON PERVENIT.

Obnixe negando de illa superiore coniuratione nihil se comperisse, hoc persuadere conititur, omnia sibi in consulatu suo fuisse manifesta.

Edit. N. 14. MULTA CUM ESSEM CONSUL DE SUMMIS REIP.

PERICULIS AUDIVI, MULTA QUÆSIVI, MULTA COGNOVI: NULLUS UMQUAM DE SYLLA NUNTIUS AD ME, NULLUM INDICIUM, NULLÆ LITTERÆ PERVENERUNT, NULLA SUSPICIO.

Hæc vero non patroni magis quam testis oratio est. Quibus enim verbis, præterquam his, uti posset qui testimonium rogaretur? mire[e] *sibi* optinens *ut fides adhibeatur*, quasi expectandum iam non sit ut probet, quoniam credi debeat reip. conservatori.

SED EGO NONDUM UTOR HAC[f] VOCE AD HUNC DEFENDENDUM.

Moderate et consulte facit, quo magis mereatur obtinere testis auctoritatem, quam sibi ipse non vindicet.

QUÆ ENIM FUIT AUTRONII CAUSA? QUÆ SYLLÆ EST? Edit. N. 15.

Dissimilitudinem duorum .P. Syllæ et Autronii facta comparatione prosequitur, ne huius prædamnatio sit illa sententia, quæ in Autronium dicta est necessario. Igitur ostendit numquam similes fuisse, ut per hoc facilius Syllam persuadeat innocentem.

ILLUM ALLOBROGES MAXIMARUM RERUM VERISSIMI INDICES. N. 17.

Oratoria suptilitate adserit hic et confitetur Allobrogum fidem, quos verissimos indices dicit,

---

[e] Cod. *miræ* . . . *optinens* . . . *quasi*, etc. relictis spatiis, ita ut sensus loci hiaret.

[f] Supplevi *utor hac* ex editis.

dicit, a quibus Syllam nominatum non esse constabat.

Hic contra ita quievit, ut eo tempore omni Neapoli fuerit.

Quoniam videri poterat .P. Sylla damnatus conscientia detecti criminis sui ab oculis omnium secessisse, et Urbem Romam reliquisse, trahit Orator ad verecundiæ argumentum, dicens, ea propter sub oculis esse civium noluisse, quod erubesceret in aliquo vitæ suæ *articulo*[e] honorem defloratum dignitatemque mutilatam. Nec moverit nos quod ita loquatur de Sylla Cicero, quasi damnatus de crimine ambitus habuerit Romæ demorandi facultatem. Habuit enim secundum legem Calpurniam. Nam superioribus *temporibus*[f] damnati lege Cornelia hoc genus pœnæ ferebant, ut magistratuum petitione per decem annos abstinerent.[g] Aliquanto postea severior lex Calpurnia *lata est*,[h] et pecunia multa fuit, et in perpetuum honoribus iussit carere damnatos. Habebant tamen licentiam Romæ morandi. Postea iam damnatis Sylla

---

[e] Supplevi *articulo*.

[f] Supplevi *temporibus*.

[g] Hæc lex dicitur *Cornelia Bæbia*, quia lata est a P. Cornelio Cethego et M. Bæbio Tamphilo, qui Consulatum gesserunt anno U. C. DLXXIII. Eius legis meminerunt Livius lib. XL. 15. Florus lib. XLVII. Sed pœnam uterque reticuit, quam noster Interpres expressit.

[h] Supplevi *lata est*. De hac lege scribit Asconius ad Orat. *pro Cornel.* p. 132. "Tulerat eam ante biennium C. Calpurnius "Piso Consul, in qua, præter alias pœnas, pecuniaria quoque pœna "erat adiecta."

et Autronio, pœnam de ambitu graviorem consules .C. Antonius et Cicero sanserunt, ut præter hæc veteribus legibus constituta, etiam exilio multarentur.[e]

Et locus est ipse non tam ad inflammandos calamitosorum animos, quam ad consolandos accommodatus.

Dicit Neapolitanam Civitatem procul fuisse ab omni contagio illius coniurationis, ac propterea delectam .P. Syllæ, ut ibi non sceleratus lateret, sed miser conquiesceret.

Veniebat ad me, et sæpe veniebat, Autronius. Edit. N. 13.

Salubriter institit huic parti. Multis et inpensis precibus, commemoratis amicitiæ veteris officiis, Autronium postulasse, multosque alios ad hoc impetrandum pro se deprecatores adhibuisse, nec tamen extorsisse ut patronus et defensor adsisteret. Ne hoc dicere adversarius posset: idcirco Autronium non defendisti, quod non satis egerit, ut a te defenderetur. Sed si hoc impensissime deprecatus est, nec impetravit, videri iam potest idcirco ad defendendum Syllam venire, quod de eius innocentia certus sit.

Quod tandem, Torquate, regnum? Consulatus credo mei, in quo ego imperavi nihil. N. 21

---

[e] Suam legem *de ambitu* commemorat Tullius *pro Murena* III. et XXXII. *pro Sextio* LXIV. *in Vatin.* XV. Memoratur etiam a nostro Interprete ad Orat. *pro Plancio* N° 83. et a Dione lib. XXXVII. 29.

Cumulaturus invidiam Torquatus in personam .M. Tullii, et hoc dixerat: quodam illum spiritu velut regiæ potestatis exposcere, ut Sylla innocens iudicetur. Itaque[e] . . . statim . . . *addit* . . . consulatum suum talia edidisse moderationis et continentiæ et virtutis exempla, ut non ipse rex, sed aliis regnum affectantibus esset inimicus. Qua exsecutione simul et invidia liberat auctoritatem suam, et impetrabilius facit quod ad Syllæ victoriam[f] locuturus est.

AN TU[g] IN TANTO IMPERIO TANTAQUE POTESTATE NON DICES ME FUISSE REGEM; NUNC PRIVATUM REGNARE DICIS?

A maiore ad minus. Ut quod nunc privatus in defendendo reo innocentissimo faciat, non sit regiæ superbiæ sed fidei religiosæ, qua non putet innocentes esse damnandos. Nec cadat suspicio regiæ cupiditatis in privatum senatorem, quæ non ceciderit in consulem.

SI FALSUM DIXERIM, TE IN EOSDEM DIXISSE; SI VERUM, NON ESSE HOC REGNARE, CUM VERUM IURATUS DICAS PROBARE.[h]

In altero *accusatio adversarii* est, in altero *sui defensio*,[i] Aut invidiæ mecum particeps,

---

[e] In his spatiis evanidæ prorsus litteræ.
[f] Codex *ad Syllam victoriæ*.
[g] Sic Cod. *tu*. At in edd. *tum*.
[h] Hinc forte clarescit locus qui interpretes diu vexavit.
[i] Cod. sic: *in altero . . . est in altero . . aut*, etc. quæ spatia replenda videbantur, ut fecimus. Porro noster Interpres satis bene declarat hunc locum, qui recentiores criticos non parum torsit.

inquit, videberis, si quid in eo regaliter feci, quod in sceleratos homines testimonium dixi, quoniam et te in eosdem dixisse manifestum est; aut si fides et religio incorrupta in illis omnibus testimoniis fuit, non potest rex videri qui testimonio adserit veritatem. In parte igitur percussit Torquati verecundiam, in parte diluit regalis animi proprietatem.

Uter tandem rex est, is ne cui innocentes homines non resistunt, an is qui calamitosos non deserit? Edit. N. 12.

Præmiserat enim Torquati propositionem valde insolentissiman, et liberæ civitatis odio dignam: nisi tu defendisses P. Syllam, nemo defenderet. Cui statim in forma concessiva occurrit.[a] Ut, inquit, alios concedam patrocinium denegaturos fuisse, in quem iustius derivabitur animi regalis cupiditas, in me qui protego innocentes, an in te qui subveniendum non putas innocentibus? Non tantum ergo se liberavit, sed Torquatum multo acerbius proscidit.

At hic etiam facetus esse voluisti, cum Tarquinium et Numam et me tertium peregrinum regem esse dixisti.

Novitatem Ciceronis multi quidem per illa tempora contumeliis agitare voluerunt, ut Catilina et Clodius,[b] et ipse quamvis Collega fuerit

---

[a] Codex *in formam concessiv currit.*

[b] Magnam de sua nobilitate opinionem et superbiam Claudiæ familiæ insitam testatur Tacitus Annal. Lib. I. 4. "Tiberium

.C. Antonius.[e] *Nam quia*[f] virtutibus obtrectare non poterant, eius humilitatem natalium maledica insectatione carpebant. Notissimum est autem fuisse Ciceronem natione Vulscum Arpino municipio, unde illi quædam peregrinitatis ab invisoribus concinnabatur infamia. Nec in præsentis causæ iudicio Torquatus pepercerat, facta mentione regum peregrinorum Tarquinii et Numæ. Fuerat enim Popilius Curibus Sabinis ortus. Tarquinius vero Priscus Demarthi Corinthi filius, qui fugiens dominationem Cypseli, in Italiam se Tarquinios contulerat, ibique liberos procreaverat. Animadvertamus tamen quantis aculeis asperitatis tallionem .M. Tullius referat hic Torquato, quem partim despiciendo plus abicit et humillimum facit, partim maiore insectatur invidia, quod in exemplis Maiorum illius hereat[g] invidia tyrannidis.

Edit. N. 23. HOC DICO, INQUIT, TE ESSE E MUNICIPIO. FATEOR. ET ADDO ETIAM EX EO MUNICIPIO, UNDE ITERUM IAM SALUS HUIC URBI IMPERIOQUE MISSA EST.

" Neronem, maturum annis, spectatum bellis: sed vetere atque " insita Claudiæ familiæ superbia." Eamdem in Appio Pulchro P. Clodii Fratre exagitat Cicero ad Famil. lib. III. Epist. VII. Et P. quidem Clodius cum per lusum dixisset Ciceronem non *regem* sed *Iovem*, mordacissimam ab eo responsionem retulit, quam vide in Orat. *pro Domo sua* XXXIV.

[e] De Catilina et Antonio confirmat Asconius ad Orat. *in Toga candida* p. 153. " Huic Orationi Ciceronis et Catilina et Antonius " contumeliose responderunt: quod solum poterant, invecti in no" vitatem eius.

[f] Supplevi *Nam quia*.

[g] Sic Cod. *hereat* sine dipthongo.

Magna cum gloria subdidit consensionem, amplectens municipii sui Arpinatis egregiam nobilitatem, unde et .C. Marius extiterit bellorum maximorum strenuissimus victor, et Ipse cuius consulatus and opprimendam Catilinæ coniurationem salutaris inluxerit.

NEMO ISTUC .M. CATONI SENI, NEMO TIBERIO CORUNCANIO, NEMO MARIO[e] CURIO.

.M. Cato ille Censorius et Tib. Coruncanius[f] fuerunt e municipio Tusculano. Manius porro Curius qui de Samnitibus triumphavit, Sabinis oriundus videtur, ubi etiam foculo adsidens aurum quod sibi hostes optulerunt repudiavit, confessus votum sibi esse præcipuum, non ut ipse opibus adflueret, sed ut pecuniosis hostibus imperaret.[g]

EST ENIM MATERNO GENERE MUNICIPALIS. Edit N. 25.

Quos in totum destruere non potuit, ex parte destruxit. Nam familiæ Manliæ veteris egregia nobilitas eminebat, sed maternum genus humilitare[h] conatus est. Quasi non sit illi ad originem parentis utriusque dignitas vetustatis æqualis.

---

[e] Sic Cod. *Mario.* At inferius *Manius,* quod verum Curii prænomen bis usurpat Plutarchus in *Pyrrho,* et diserte asserunt Interpretes Aurelii Victoris ad Caput XXXIII. *de Viris illustr.* Porro hoc Curii Dentati prænomen non in nostro tantum Codice, sed in aliis multis Veterum scriptis aut corruptum aut varium est. Vide ad Aurelii Victoris locum citatum.

[f] Cod. *Teb. Conuncanius.* Sed mendum corrigitur a textu superiore. Catonis autem Censorii et Ti. Coruncanii res gestæ passim celebrantur apud romanæ historiæ Scriptores.

[g] Idem de Curio narrant Cicero *de Senect.* XVI Valerius Maximus Lib. IV. Cap. III. 5. Aurelius Victor *de Viris illustr.* Cap. XXXIII.

[h] Nota novum verbum *humilitare.* [Librarii tantum lapsus est. Lege, *humiliare.*]

HONESTISSIMI GENERIS SED TAMEN ASCULANI.

Asculum civitas est in Piceno, unde etiam principia belli socialis arserunt.[e]

NISI FORTE REGIUM TIBI VIDETUR ITA VIVERE. Et relicum.

Decore et hoc cum sublimitate maximæ laudis impletur: ea ostendens inesse moribus suis, quæ non congruentia sed contraria sint regiæ cupiditati.

Edit. N. 26. EGO TANTIS A ME BENEFICIIS IN REP. POSITIS, SI NULLUM ALIUD MIHI PRÆMIUM AB SENATU POPULOQUE .R. NISI HONESTUM OTIUM POSTULAREM, QUIS[f] CONCEDERET?

Gloriose in hunc locum decurrit Orator laudibus suis, plurimis demeritis[g] erga remp. tribuens, quod tantis iam perfunctus periculis honeste posset ab omni labore requiescere, nisi animus nullo posset otio consenescere. Et hic, quantum mea opinio est, imitatus est .C. Gracchum.[h] Sic enim et ille DE LEGIBUS

---

[e] Rem. narrat Appianus 1. Bell. civ. p. 633.

[f] Edd. *quis non concederet? sed τὸ non* abest a Codice. Et clausula quidem fragmenti Gracchani, quod comparationis gratia affertur infra, favet Codicis lectioni.

[g] Nota nomen substantivum, ut videtur, *demeritum*.

[h] Huius Oratoris laudes magnifice persequitur Cicero in Bruto XXXIII. "Sed ecce in manibus vir, et præstantissimo ingenio et "flagranti studio, et doctus a puero, C. Gracchus. Noli enim "putare quemquam, Brute, pleniorem et uberiorem ad dicendum fuisse ... Grandis est verbis, sapiens sententiis, genere toto gravis." Huius eloquentiam mire laudant etiam Dio in Fragm. Peiresc. XC. Plutarchus in *Gracchis*. Tum C. Gracchum anteponit Catoni illi seniori Auctor Dialogi *de Caussis corruptæ eloquentiæ* Cap. XVIII. a quo tamen dissentit Gellius Lib. X. Cap. III.

PROMULGATIS,[e] ut ipsius etiam verborum faciam mentionem.

SI VELLEM, inquit, APUT VOS VERBA FACERE, ET A VOBIS POSTULARE, CUM GENERE SUMMO ORTUS ESSEM, ET CUM FRATREM PROPTER VOS AMISISSEM, NEC QUISQUAM DE P. AFRICANI ET TIBERI GRACCHI FAMILIA, NISI EGO ET PUER RESTAREMUS,[f] UT PATEREMINI HOC TEMPORE ME QUIESCERE, NE A STIRPE GENUS NOSTRUM INTERIRET, ET UTI ALIQUA PROPAGO GENERIS NOSTRI RELIQUA ESSET; HAUD *SCIO*[g] AN LUBENTIBUS A VOBIS IMPETRASSEM.

Etenim in qua civitate rem tantam gesserim memini, in qua urbe verser intellego. Plenum forum est eorum hominum, Edit. N. 28.

---

[e] Leges C. Gracchi agrariæ, frumentariæ, et de magistratibus notiores sunt, quam ut descriptione egeant. V. tamen certe Livii Epitomen libri LX. Orationem autem Gracchi *de legibus promulgatis* memorat Gellius, Lib. IX. 14. et X. 3. aliquot eius Fragmentis prolatis. Citat eamdem Orationem etiam Festus voc. *Ostentum.* Nostra tamen Particula, quod sciamus, adhuc erat inedita.

[f] Tiberius Sempronius Gracchus de Cornelia P. Africani maioris filia duodecim suscepit liberos: sed tanta soboles mature cum Patre vita functa est, excepta Filia, quam Scipio Africanus minor uxorem duxit, et filiis duobus Tiberio et Caio. Occiso in Tribunatu Tiberio, solus e masculis superfuit Frater Caius cum Tiberii filiolo, de quo Gellius, Lib. II. cap. XIV. in fine. Atque hunc puerum forte hîc commemorat Caius. Ceterum Plutarchus in *Gracchis* narrat, ipsi etiam Caio fuisse filiolum, quem nimirum uxor Licinia manu tenebat, cum viro occurrit ad eam dimicationem prodeunti, in qua miserrime periit.

[g] *Scio* supplevi.

QUOS EGO A VESTRIS CERVICIBUS DEPULI, IUDICES, A MEIS NON REMOVI.

Figura[e] quidem in orationibus plurimis frequentata Ciceroni, qua velut divino quodam mentis instinctu imminentem sibi providebat invidiam, et ex ea periculum quod evenit. Verum mihi altius consideranti hanc omnem quam localiter intulit *figuram*[f] occurrit vehemens, et ad causam .P. Syllæ salubriter pertinens virtus. Nam cum in præsenti exsecutione testetur, extinctis iam plurimis hostibus patriæ, superesse tamen innumerabiles qui sibi nocere votis ardentibus cupiant, hoc sine dubio relinquit Iudicum tacitis cogitationibus, numquam se ad defendendum Syllam processurum fuisse, si eum vel tenui aliquo argumento sensisse cum hostibus reip. suspicaretur, cui minuendus illius coniurationis numerus, ne plures in posterum sibi reservaret[g] inimicos.

Edit. N. 31. QUOD CUM IS TRIBUNOS[h] PL. FACIT, QUI UNUS VIDETUR EX ILLIS AD LUGENDOS CONIURATOS RELICTUS, NEMINI MIRUM EST. DIFFICILE EST ENIM TACERE CUM DOLEAS.

Insectatur invidia maiore Torquatum: et cum sit ab illo ipse reprehensus, quasi mutato proposito voluntatis, qui Catilinæ oppresserit

---

[e] Spatium in Codice, quod replevi verbo *figura*.
[f] Iterum spatium, quod replevi ut supra.
[g] Codex *reseret*.
[h] Archaismus pro TRIBUNUS.

coniurationem, reis tamen eiusdem criminis patrocinetur; versa quodammodo vice ipsum Torquatum quasi defensorem coniurationis insimulat, et dicit imitari eum Tribunum .Pl. qui moleste pœnas hominum publicorum ferat. Significat videlicet .L. Calpurnium Bestiam,[e] sive [nam et hoc suspicari possumus] .Q. Metellum Nepotem.[f] Post quod exemplum in fine sententiam posuit, quod genus in Tullianis orationibus rarum est. Difficile est, inquit, tacere cum doleas. Dolor enim quibusdam tormentis animi laborantis effusus ad impatientiam vocis erumpit.

· QUI FILIUM SUUM VITA PRIVAVIT, UT IN CETÆROS[g] FIRMARET IMPERIUM. Edit. N. 32.

De familia Torquati mutuatur exemplum, quo validius ad consensum adigeretur, puniendos a rep. fuisse hostes intra mœnia deprehensos, cum per contextum sui generis recordetur[h] extitisse qui Filium capite puniret. Et hoc in loco Manlium significat qui cum .P.

---

[e] L. Calpurnius Bestia recensetur a Sallustio inter coniuratos cum Catilina. Huic Bestiæ tribuno Pl. mandatum erat a Lentulo item coniurato, ut Romæ concione habita, quereretur de actionibus Ciceronis. V. Sallust. Bell. Catil. Edit. Paris. anni 1674. pp. 14. et 34.

[f] Q. item Metellum Nepotem de coniuratorum poena conquestum refert Dio Lib. XXXVII. 42. Immo idem Metellus Tribunus Ciceronem consulatu abeuntem concionem habere prohibuit, atque ei tantum ut iuraret vetere more permisit. V. Plutarchum in *Cicer.* et Dionem, tum Asconium ad Orat. *in Pison.* p. 158. Contra Metelli Concionem, qui Ciceronem apud populum maledictis prosciderat, extant ipsius Tullii Fragmenta Orationis cuiusdam, quæ vide sis in Edd.

[g] Edd. *in ceteris.* Sed melius Codex.

[h] Codex *recordatur.*

Decio functus est consulatum. *Hic*[e] ex virtute cognomen Torquati habuit, quod uno de Gallis hostibus interfecto, torquem sibi velut spolium superati hostis induerat. Ab hoc comperimus Filium non ob aliquod criminosum, sed gloriosum et militare facinus interemptum, quod contra Patris inperium cum hoste, quamvis feliciter, dimicasset.

Edit. N. 34. ATQUE ETIAM ILLUD ADDAM NEQUI[f] FORTE INCIPIAT INPROBUS SUBITO TE AMARE, TORQUATE.

Ista dicit insidiosa quadam benignitate perstringens adversarium.

N. 36. AB[g] ALLOBROGIBUS NOMINATUM SYLLAM ESSE DICIS. QUIS NEGAT? SED LEGE INDICIUM ET VIDE QUEMADMODUM NOMINATUS SIT.

Facta ab indicio Allobrogum et inlata propositio, ne sensio[h] in contrarium vergeret . . . Vigilantissime ipsius indicii modum tractare adgressus est, et ostendere[i] quæsisse Gallos de

---

[e] Supplevi *Hic*.

[f] *Nequi* pro *nequis* evidenter habet noster Codex Sic paulo infra N. 39. *aliqui* pro *aliquis* semel Cicero et semel Interpres. Itidem ad Orat. *pro Plancio*, N. 68. *siqui* pro *siquis* scribit Interpres, Huiusmodi autem terminationes pluribus exemplis ex Plauto, Cicerone, Gellio, Paulo, Apuleio, Tertulliano propugnat Vossius *de Grammat.* Lib. VI. cap. 8. concluditque: "Multa huius generis in antiquis "sunt codicibus, quæ imperiti librarii mutarunt: quemadmodum "inter alios testantur Petrus Victorius Castigat. in Cælii Epistolas "ad Ciceronem et Obertus Victorius Ind. Lucret. voce *Qui*." Noster etiam Codex antiquissimus rem luculenter confirmat. Quare haud scio quo iure Forcellinus ad vocab. *Aliqui*, locorum omnium, qui pro hac sententia afferuntur, incertam lectionem pronunciet.

[g] Recte in Codice additur præpositio *ab.* quæ deest in Editione saltem Verburgii.

[h] Nota nomen *sensio* pro *sententia*, ut in Isid. Glossar.

[i] Cod. *ostendens*.

L. Cassio Longino quemadmodum Sylla esset animatus. Et hoc eos fecisse, non quo de eius moribus et proposito voluntatis aliquid audissent, sed quod facta mentione .P. Autronii, quem consortem fuisse præcedentis illius de ambitu damnationis audierant, existimassent aliquid etiam de coniuratione quærendum.—Deinde vincenter[h] subicit responsum Cassi illud unum respondentis, nihil se de .P. Sylla scire pro certo. Ibidemque statim, quod nos a pari dicimus, defensionem complectitur, dicens huiusmodi responsum Cassi[b] pro eo habendum atque si negasset .P. Syllam sceleris huius esse participem: quoniam is qui de omnibus instructissimus fuerit, de hoc ideo nihil scripserit,[c] quod Sylla innocens esset.

Si ressPONDISSET IDEM SENTIRE ET SECUM FACERE SYLLAM.

Ad formam concessivam revocans argumentationem, etiam*si*[d] quærentibus Gallis respondisset .L. Cassius .P. Syllam huius initi contra remp. sceleris esse participem, valere non debuisse pro crimine, quando facile crederetur illum, quo spem robustiorem Gallis daret, de nobilissimo viro non dubitasse mentiri. Quæ *concessio*[e] multum proficit ad illud quod nega-

[h] Nota adverbium *vincenter*.

[b] Codex *cassum*, quod forte retineri poterat.

[c] Ita Cod. *scripserit*, sed ex præcedentibus videtur corrigendum *sciverit*.

[d] Codex *etiam*.

[e] In Codice vel spatium est vel oblitteratio. Supplevi *concessio* ex præcedentibus.

verat Cassius se comperisse quid animi Sylla haberet, ut tale genus responsionis absolute purgaverit innocentiam.

Edit. N. 37. NISI FORTE VERISIMILE EST .P. SYLLÆ NOMEN IN MEMORIA CASSIO NON FUISSE.

Verisimilia contrahit argumenta per qualitatem personæ, quam generis nobilitas inlustrabat, ut se etiam non quærenti Cassio potuerit efferre, nec tamen aliquid ille se dixerit comperisse.

N. 39. SED EGO IN QUÆSTIONIBUS ET INDICIIS[d] NON HOC QUÆRENDUM ARBITROR NUM PURGETUR ALIQUI, SED NUM ARGUATUR.

[h] Et perquam exercitata respondendi facultate propositioni accusatoris occurrit, non illud expectandum in indiciis an defensus sit aliqui,[g] sed an nominatus, quoniam videri possit etiam stulta defensio id quod non accusetur velle purgare.

N. 40. EXCLUSUS HAC CRIMINATIONE TORQUATUS RURSUS IN ME INRUIT, ME ACCUSAT, AIT ME ALITER AC DICTUM SIT IN TABULAS PUBLICAS RETTULISSE. O DII INMORTALES! Et relicum.

Iuxta[d] dignitatem personæ in excessum locus totus effunditur cum indignatione vehementi. Fit enim coniectura incidens an P.

---

[d] Sic *indiciis* hîc et enfra, non vero *iudiciis,* quam nostrum lectionem alii etiam Codd. confirmant.
[h] Ante *et* relinquitur spatium, quod replere non est necessarium.
[g] Cod. *aliquid,* sed deletâ ab ipso amanuense *d.* quare remanet *aliqui* pro *aliquis,* ut paulo ante.
[d] Cod. *justa.*

Syllæ nomen subtraxerit Cicero, et id egerit ne in tabulas publicas referretur. Non debuit ergo humiliter et timide hanc defensionem, sed cum impetu flagrantissimæ indignationis implere quasi monstri simile sit, in tanto consule aliquid potuisse fraudis existere.[d] Hæ sunt defensiones quæ in personis inlustribus quendam spiritum laudis imitantur.

INSTITUI SENATORES QUI OMNIA INDICUM DICTA, INTERROGATA, RESPONSA PERSCRIBERENT. AT QUOS VIROS! NON SOLUM SUMMA FIDE SED ETIAM QUOS SCIEBAM MEMORIA SCIENTIA CELERITATE SCRIBENDI FACILLIME QUÆ DICERENTUR PERSEQUI POSSE. Edit. N. 42.

Ad diluendam quæstionem, quæ, ut diximus, incidens nata est, an falsum consul in tabulas publicas rettulerit, inferuntur hæc exempla validissima, quod ad scribendum omne, quod indices pronuntiarent, idoneos admoverit senatores. Et vigilanter duo illis præcipua, et quæ ad strumentum fidei necessaria sunt, adscribit, animi integritatem et velocitatem scribendi, ut fides non deceperit veri*tatem* . . . .

. . . .

O MISERUM INFELICEM ILLUM DIEM! N. 91.

---

[d] Falsum senatusconsultum a Cicerone fuisse relatum calumniatus est etiam Clodius V. *pro Domo sua* XIX. Item eundem Ciceronem mentitum esse in Senatusconsultum. V. *de ære alieno Milonis*, p. 37. cum n. 6.

Oratorie deplorat etiam illud tempus, quo damnatus est ambitus crimine,[h] ut in eo desinat invidiosus esse, in quo miserandus existimetur.

Edit. N. 92. VOS REIECTIONE INTERPOSITA NIHIL SUSPICANTIBUS NOBIS REPENTINI IN NOS IUDICES CONSEDISTIS, AB ACCUSATORIBUS DELECTI AD SPEM ACERBITATIS. Et relicum.

Sensus quidem multæ obscuritatis est, cuius intellectus sic aperietur. Per illud tempus cum esset alius præter Syllam reus, qui causam de vi lege Plautia[i] diceret, omni labore conisus est .L. Torquatus, ut ante iudicum reiectio[k] fieret ad eam cognitionem, quæ de illo quoque futura erat, qui huiusmodi reatu petebatur. Et hoc nimirum eo consilio et ea calliditate peregit, ut melioribus et iustioribus ad illam causam iudicibus electis, qui superessent inmitiores et asperi iudices, quique ab illorum numero fuissent reiecti, de .P. Sylla iudicarent, pro naturæ suæ videlicet asperitate hunc vel innocentem damnaturi. De reo metuens Orator in orationis exitu præcavet[l] et invigilat, ut iudicibus, quorum asperitatem metuit, incutiat verecundiam priusquam ad fe-

---

[h] De Sylla crimine ambitus damnato V· Asconium ad Orat. *pro C. Cornelio*, p. 137. Et *in Toga candida* p. 148.

[i] De hac lege sic Iulianus lib. XLIV. Digestorum "Lex Plautia "et Iulia ea demum vetuit longa possessione capi, quæ vi possessa "fuissent; non etiam ex quibus vi quis deiectus fuisset."

[k] De Iudicum reiectione loquitur Asconius ad Act. I. in Verr. p. 47—48. Iterum in Verr. *de Præt. urb.* p. 69. Et in Argum. Milonianæ, p. 191.

[l] Cod. *præcadet*.

rendas sententias eant: ut metuentes invidiam nimiæ duritiæ, si reum pœnæ addixerint, iam pro illo sentire cogantur. Et ne hoc ipso tamen animos eorum læderet, communicavit fortunam temporis sui et Consulatus, in quo et ipse contraxerat quasi nimis acerbæ severitatis invidiam.[e] Dicitque in commune omnibus consulendum, ut severitatem nimiam, quam temporis necessitate susceperint, præsenti humanitate mitificent.

Explicit Oratio.

---

[e] Invidiam et pericula in quæ incurrerat ob severum iudicium de coniuratis exercitum, commemoravit ipse Cicero superius in hac Oratione N. 28.

IN

ORATIONEM EDITAM TULLIANAM

PRO PLANCIO

COMMENTARIUS ANTIQUUS INEDITUS

QUI VIDETUR ASCONII PEDIANI.

PRO PLANCIO.

ATINATES, AN TUSCULANOS? Edit. Verburgii N. 19.

Ne hanc laudem nude impertiri Atinatibus arbitreris, quos ita extollit, ut illorum malevolentiam deprimat.

QUIBUS E MUNICIPIIS VIX IAM QUI[d] CARNEM LATINIS PETANT REPPERIUNTUR. N. 23.

Oppida commemoraverat Lavicanum et Gabinium et Bovillas prope iam vacua et populi exiguitate deserta, quæ Laterensem non tantopere suffragiis suis potuerint adiuvare. Quod vero mentionem petendæ carnis fecit, pertinet ad consuetudinem sacri anniversarii. Nam latinæ feriæ a quo fuerint institutæ dissentiunt plerique auctores. Alii ab .L. Tarquinio Prisco rege romanorum existimabant,[e] alii vero a Latinis priscis. Atque inter hos ipsos causa sacrificii non convenit. Nam quidam id initium ex imperato Fauni contendunt. Nonnulli post obitum Latini regis *et* Æneæ, quod ii nusquam comparuerunt.[f] Itaque ipsis diebus ideo oscillare instituerunt, ut pendulis machinis agitarentur, quoniam eorum corpus in terris non esset repertum, ut animæ velut in aëre quærerentur. Feriarum latinarum sacrificio

---

[d] Supplevi QUI ex editis.
[e] Cod. ita *existimabant*, sed videtur potius scribendum *existimant*.
[f] Cod *comparaverant*.

solebat hoc observari, ut Hostia[d] *et* civitates adiacentes portiunculas carnis acciperent ex Albano monte secundum veterem superstitionem. Tam exiguum in illis civitatibus numerum hominum significat, ut desi*nt* etiam qui carnem petitum de sollemni more mittantur.

Edit.. N. 23. ADIUNGAMUS, SI VIS, ID QUOD TU HUIC OBESSE[e] ETIAM PUTAS, PATREM PUBLICANUM.

Transitus fit ad quæstiunculam, qua humilitas generis obiciebatur Plancio, ut[f] eapropter elargitus pecuniam videretur, quoniam consequi ædilitatem familiæ suæ dignitate non posset. Publicanorum itaque Tullius ordinem necessario adserit, qui tunc ex equestri ordineaccedebant ad vectigalium redemtionem.

N. 24. QUOD FUERIT PUBLICANUS, VEL QUOD AB SOCIIS UNICE DILIGEBATUR, VEL QUOD DILIGENTISSIME ROGABAT, VEL QUIA PRO FILIO SUPPLICABAT.

Cumulavit gratiam suffragantis de paterno etiam favore, cui publicanorum Societas adfuerit, ut filius eius ad optinendam ædilitatem potius adiuvaretur.

ALIQUID PRÆTEREA [TIMIDE DICAM, SED TAMEN DICENDUM EST] ALIQUID ADTULIMUS ETIAM NOS.

---

[d] *Hostia* urbs Latii scribitur interdum cum adspiratione Sic apud Gruterum CCCCLIV. 10. *Colonia Hostiensis.* Vide etiam Forcellinum voc. *Ostia.*

[e] Codex *abesse.* Sed mendum, nam Cicero n. 31. repetit *obesse.*

[f] Codex *ut ut.*

Necessario temperavit, gratiam suam non mediocriter Plancio profuisse, quando vir consularis testimonium[e] beneficiorum in se conlatorum perfidens, Candidato multum potuerat promovere. Hoc vero ne esset insolens *et* superbum, præmisit adlegationem verecundæ timiditatis.

ULTRO MEHERCULE SE MIHI ETIAM OFFERENTES, ULTRO POLLICENTES ROGAVI.

Admirabiliter nec humilem se fecit in precibus, nec tamen plurimum adiuvisse testatus est. Sic et pro reo satis causæ facit, et dignitatis suæ ornamenta custodit: dicendo non defuisse preces suas, quibus populus verecunde obsecutus sit, ultro se etiam offerens gratiæ referendæ ad eum promtissime designandum, cui vir tam bene de Rep. meritus suffragaretur.

NEC SI VIR AMPLISSIMUS, CUI NIHIL EST QUOD ROGANTI CONCEDI NON IURE POSSIT, DE ALIQUO, UT DICIS, NON IMPETRAVIT. Edit. N. 25.

Sagacissime animadvertit quid a parte diversa posset opponi. Non mirum si nihil pro Plancio Tullius valuisse videatur, cum pro alio sibi coniunctissimo Candidato Vir potentissimus nihil promoverit, cum illi designando studeret. Significare autem Candidatum videtur .T. Ampium[f] suffragatorem vero .Gn. Pompe-

---

[e] Forte corrigendum *testimonio.*

[f] T. Ampius prætor fuit in Cilicia, ut videtur, Pisone et Gabinio Coss. V. Epist. III. lib. I. ad Famil. Ad hunc exulem partium pompeianarum causa, exstat Ciceronis Epistola XII. Lib. VI. ad Famil.

ium: de quibus tam se quam Pompeio sic vult accipi Tullius suspicionem, ut ipse quidem pro Plancio valuerit miserabiliter et demisse petendo; Pompeius non item pro Tito Ampio, utique pro sublimitate nominis et potentiæ superbius hoc sibi aput populum vindicans.[g]

ROGATIO HÆC SEMPER EST GRATIOSISSIMA.

Quoniam *ambiguum*[h] verbum est, et interdum potest rogationem, id est *legem nondum perlatam*[i] significare, idcirco hic admonendum lectorem putavi, *per*[k] rogationem a Tullio cum maxime petitionem significari, quæ facta sit pro Candidato.

Edit. N. 26. AN MINTURNENSIUM COLONI, QUOD .C. MARIUM E CIVILI FERRO[l] ATQUE EX IMPIIS MANIBUS ERIPUERUNT.

Iam narratum a me hoc exemplum plenissime scio *de* .C. Mario,[m] qui Syllanis armis cedens cum filio in Minturnensium paludibus latuit. Inde emissus, quoniam non potuisset occidi, navigio inpositus in Africam pervectus ad usque dirutæ Kartaginis fines. Inde armis

---

[g] De Pompeio trudente Candidatum comitiorum tempore, omnibus invitis, vide etiam I. ad Attic Epist. XVI.

[h] Spatium in Codice forte explendum verbo *ambiguum*.

[i] Spatium in Codice quod explevi ex coniectura. Et quidem totus locus videbatur corrigendus sic: "et interdum potest rogatio *legem nondum perlatam* significare.

[k] Supplevi *per*.

[l] *Ferro* habet Codex melius, quam Edd. *errore*, aut Ursinus *cruore*, quæ menda sunt.

[m] Forte Asconius narraverat hoc de C. Mario ad Orat. *in Pisonem* cap. XIX. qui locus est similis huic loco Orationis *pro Plancio*. Sed quoniam Commentarius Asconii ad Orat. *in Pison*, est mutilus, fieri potest, ut perierit ea narratio exempli de C. Mario, ad quam noster Interpres, quem putamus Asconium, nunc provocat.

Cinnanis in Italiam restitutus, et adeptus denique septimum consulatum.

QUOD ME VEL VI PULSUM VEL RATIONE CEDENTEM.

Prudenter hoc suspendit, ne aut damnatus aut exul fuisse umquam videretur. Et vis enim proprior est iniuriæ quam accusationis. Et ratio, qua se dicit maluisse Urbe recedere, respectum habuisse potest utilitatis publicæ, ne periculosa multis seditio moveretur.

HIC EST QUI ADULESCENTULUS CUM AULO TORQUATO PROFECTUS in AFRICAM SIC AB ILLO GRAVISSIMO VIRO DILECTUS EST. Edit. N. 274.

Anteacta [e] vitæ officia recensentur quadam subiecta *narratione* [f] numerante Oratore quibus locis quibusque temporibus et cuiusmodi virorum iudicio .Gn. Planci mores comprobati sint. Quod ipsum statim vigilanter erga personam Torquati facit, cuius gravitatem et sanctimoniam non otiose testificatus est, sed quo magis Plancius ornaretur, quem familiariter ille dilexerit. [g] Et quoniam Torquatus idem præsens non erat, in eius patruelem conferendam putavit vicem testimonii, ut perinde haberetur, atque si adesset is, cuius validior esset auctoritas.

FUIT IN CRETA POSTEA CONTUBERNALIS SA-

---

[e] Melius diceretur *anteactæ*.

[f] Spatium in Codice, quod supplendum verbo aliquo latino aut græco ex coniectura. Dic v. g. *narratione*.

[g] Cod. *dixerii*.

TURNINI PROPINQUI SUI, MILES HUIUS. Q. METELLI.

Quoniam gratis[e] fuisse videri poterat, si adseveraret eum Saturnino propinquo suo placuisse; maluit ad iudicium .Q. Metelli confugere, ut vere cognitis virtutibus Planci existimaverit adulescentem per omnia spectatissimum. Significat autem .Q. Metellum, qui Creticus cognominatus est, bello aput Cretam feliciter gesto. Omnia hæc sunt[f] . . .

Edit. N. 28. TRIBUNUS PL. FUIT NON FORTASSE TAM VEHEMENS, QUAM ISTI QUOS TU IURE LAUDAS, SED CERTE TALIS, QUALES SI OMNES SEMPER FUISSENT, NUMQUAM DESIDERATUS VEHEMENS ESSET TRIBUNUS.

Nihil egerat in tribunatu suo Plancius aliqua præstanti laude dignissimum. Quin immo etiam videbatur hac potestate segnius functus. Quoniam nullas ergo virtutes eminentissimas habuit, quas de illo prædicaret, idcirco aliquid ei volens adquirere ad suspicionem ignaviæ repellendam, non tam vehemens, inquit, tribunus fuit quam ceteri. Et vivaciter conclusit: quales si omnes semper fuissent, numquam desideratus vehemens esset Tribunus. Id volens intelligi, per seditiosos et turbulentissi*mos* . . . . . .
Ad N. 33. hoc factum est . . . nec videlicet, quod sæpius iterat, valde inpiam Laterensis propositionem,

---

[e] Codex tantum *gratisque.*
[f] Spatium trium vel quatuor verborum in codice replendum ex coniectura.

quì Candidato plus inpedimenti ex persona patris esse debuisse dixerit, quam favoris privilegio[f] naturæ. Quod autem de patre dicit, illud est: cum princeps esset publicanorum .Gn. Planci pater, et Societas eadem in exercendis vectigalibus gravissimo damno videretur adfecta, desideratum est in senatu nomine publicanorum, ut cum iis ratio putaretur lege Sempronia,[g] et remissionis tantum fieret de summa pecunia,[h] quantum æquitas postularet, pro quantitate damnorum quibus fuerant hostili incursione vexati.[i] Adfuit igitur Cæsar causæ publicanorum. Cæsaris desideriis contradixit pro vigore duritiæ suæ .M. Cato, et diem totum prolixitate orationis suæ occupavit, ut senatus decernendi spatium non haberet.[k] Et id tempus ergo Laterensis denotaverat invidiosum

---

[f] Codex *pro regio.*

[g] Utrum intelligatur hîc lex Sempronia *de ære alieno*, an potius *de fænore*, an *agraria*, an alia ex tot Semproniis legibus, id Eruditis disquirendum permittimus. V. tamen inferius ad N. 35. huius Orationis.

[h] Codex *pecunia.* sed scribe, si mavis, *pecuniæ.*

[i] Præsertim in bello Mitridatico. Hanc autem Publicanorum petitionem, cui contradixit Cato, refert etiam Dio, Lib. XXXVIII. 7.

[k] Catonis Orationem *ἡμερησίαν* memorat Plutarchus in Reip. ger. Præcep. Edit. Xylandri, T. II. p. 804. *Κάτων περὶ ὧν οὐκ ἤλπιζε πείσειν, τῷ προκατέχεσθαι χάρισι καὶ σπουδαῖς τὸν δῆμον ἢ τὴν βουλὴν, ἔλεγε τὴν ἡμέραν ὅλην ἀναστὰς, καὶ τὸν καιρὸν οὕτως ἐξέκρουε*: Cato, quum gratiâ ac studiis præoccupa-"to populo aut senatu, causam se posse obtinere desperaret, totam "diem dicendo exegit, atque ita *adversariis* rei gerendæ tempus "eripuit."

Valerius Maximus, Lib. II. cap. X. 7. ait: "M. Porcium Cato-"nem admiratio fortis et sinceræ vitæ adeo admirabilem senatui "fecit, ut cum, invito C. Cæsare consule, adversus publicanos di-"cendo in Curia diem extraheret, et ob id eius iussu a lictore in "carcerem duceretur, etc." At noster Interpres narrat distincte altercationem Catonis cum Cæsare ante huius consulatum in causa Publicanorum, tum paulo inferius Cæsaris victoriam in Consulatu.

Plancio esse debuisse; quominus fieret ædilis, quando pater eius quædam liberius et exertius adversus quosdam primores senatus in publicanorum allegatione dixisset. Id revocat Orator *ad*[c] defensionem, licuisse dicens unicuique de suis iniuriis libere conqueri.

Edit. N. 33. EGO PUBLICANORUM IN .Q. SCÆVOLAM VIRUM OMNIBUS INGENIO IUSTITIA INTEGRITATE PRÆSTANTEM ASPERE ET FEROCITER DICTA COMMEMOREM? CONSULI .P. NASICÆ PRÆCO GRANIUS IN MEDIO FORO, CUM ILLE EDICTO IUSTITIO DOMUM DECEDENS ROGASSET GRANIUM, QUID TRISTIS ESSET: AN QUOD REIECTÆ AUCTIONES ESSENT? IMMO VERO INQUIT QUOD LEGATIONES.

Potentissime ab exemplis qualitas absoluta firmatur, licuisse Plancio seniori quædam liberius dicere pro societate publicanorum, qui etiam in .Q. Scævolam omni virtute præstantissimum virum fiduciam suæ libertatis erexerint. Inde transcendit ad exemplum famosi quondam præconis .Q. Granii et adprime dicacissimi, quem cum, edicto iustitio, id est prædicto in rep. tempore qui[f] nihil ageretur civilium negotiorum, Nasica consul compellavisset obvium sibi forte venientem, dixissetque iocularitet: Grani quid tristis es? An quod

---

Igitur aut Valerius, et Capito etiam apud Gellium IV. 10., duas actiones confundunt, aut bis Cato diem in senatu extraxit contra Cæsarem dicens in Causa Publicanorum.

[c] Supplevi *ad*.

[f] *Qui* pro *quo*.

auctiones reiectæ sunt? Scimus enim præconibus auctiones fructui esse, quod per eos omnia distrahantur; illo autem iustitio nec ipsæ poterant exerceri. Huic .P. Scipioni e contrario non sine morsu stomachi, respondisse Granium dicit: immo ideo tristis sum, quod legationis[e] reiectæ sint. Voluit autem pudorem Nasicæ consulis perstringere hoc amarissimo dicto. Nam legationes ab externis populis missæ ad senatum solebant ordinari pro voluntate Consulum: quas plerumque gratia, nonnumquam et accepta pecunia Consules ordinabant, ut introduci ad senatum possent.

IDEM TRIBUNO PLEBIS POTENTISSIMO .M. DRUSO.

Et hæc dicacitas præconis istius non minus urbanitatis habuisse videtur quam asperitatis. Nam .M. Licinius Drusus cum multa seditiose in tribunatu suo contra quam esset reip. utile moliretur, adventantem Granium sic compellavit: Grani quid agis? Ad hoc ille isdem verbis sed cum magna asperitate respondit: immo tu Druse quid agis? hoc est, quæ et quam periculosa et quam patriæ metuenda conaris?[f]

NUNC USQUE EO EST OPPRESSA NOSTRA ADROGANTIA CIVITAS.

---

[e] *Legationis* pro *legationes* more antiquo, quod et alibi de similibus terminationibus notavi.

[f] De Drusi Tribunatu vide ad Orat. *pro Archia* p. 57. n. 4. Interpretem nostrum, seu potius Asconium a nobis eo in loco suffectum. Tum Ciceronem *de Orat.* 1 cap. vii. Et quidem res est apud historicos notissima.

Factum est ita pronuntiando "nostra adro-"gantia" Quoniam si vestra adrogantia vel quorundam superbia dixisset non adfigendo sermoni suam societatem,[e] aliquid offensæ aput quosdam præpotentis contrahere potuisset.

UT QUÆ FUIT OLIM PRÆCONI IN RIDENDO, NUNC EQUITI .R. IN PLORANDO NON SIT CONCESSA LIBERTAS.

Facta simul *comparatione.*[f] Nam gravius deridebere *si* hoc *a* præcone dictum *sit*,[g] quam *si* ab equite romano. Gravius præconem cum inrisione, quam romanum equitem cum dolore dixisse: cum dolor excusatus sit impetu cogentis iniuriæ, risus immoderatam plerumque contumeliosæ audaciæ licentiam præferat.

Edit. N. 35. EGO QUIA DICO ALIQUID ALIQUANDO NON STUDIO ADDUCTUS, SED AUT CONTENTIONE DICENDI AUT LACESSITUS, ET QUIA, UT FIT, IN MULTIS EXIT ALIQUANDO ALIQUID, SI NON PERFECTUM, ATTAMEN FORTASSE NON RUSTICUM, QUOD QUISQUE DIXIT, ME ID DIXISSE DICUNT.

Et oratorie totum hoc explicat, invidiosius quasi de nimia libertate .Gn. Plancii senioris quosdam loqui, quam veritas ipsa patiatur, ad quod optinendum contra insimulationes inimicorum subnectit exemplum Cicero ipse de se, quem non ignoramus multum facetiis et urba-

---

[e] Codex " sermonem suæ societatem" quod forte corrigi potest etiam " sermonem suæ societatis."

[f] Spatium unius verbi explevi vocabulo *comparatione*.

[g] Codex " Nam gravius deridebere hoc præcone dictum quam " ab equite romano."

nioribus dictis indulsisse, id quod locis pluribus in Verrinis orationibus potuimus adgnoscere.[d] Hoc ergo ait: quoniam soleo quædam non ingrata festivitate secundum sales nrbanitatis dicere, idcirco plerique huiusmodi omne quod dicitur, etiamsi ab alio dictum sit, in me conferunt. Quare nihil mirum est si quædam falso etiam de Plancii libertate iactentur.

NAM QUOD PRIMUS SCIVIT[f] LEGEM DE PUBLICANIS TUM CUM VIR AMPLISSIMUS CONSUL ILLI ORDINI PER POPULUM DEDIT, QUOD PER SENATUM, SI LICUISSET, DEDISSET.

Paulo supra locutus sum nihil obtineri potuisse per C. Cæsarem, cum publicanis aput senatum patrocinaretur, contradicente scilicet .M. Catone. Verum postea consul idem .C. Cæsar legem tulit ad publicanorum commoda pertinentem[g] cui favore promptissimo .Gn. Plancii pater sine dubio adstitit, quoniam res utilitatis suæ agebatur. Hoc ergo quidquid esset reprehensionis removetur in ipsumCæsarem legis auctorem nuper latæ.[h]

NEC ENIM QUICQUAM ALIUD IN HAC LEGE, NISI EDITICIOS IUDICES SECUTUS ES. Edit. N. 36.

[d] Videtur hîc indicare Auctor se commentatum quoque esse in Verrinas. Porro extant Asconii Commentationes in illas orationes: quod roborat opinionem, hunc anonymum Auctorem esse Asconium.

[f] Codex *scivi.*

[g] Confirmat Svetonius in *Cæs.* cap. xx. ubi de Cæsare Consule
1. ait: “ Publicanos remissionem petentes, tertia mercedum parte
“ relevavit: ac ne in locatione novorum vectigalium immodera-
“ tius licerentur, propalam monuit.”

[h] Codex *reperlatam* quod forte retinendum sic, *re perlata.*

Ad ea quæ sunt necessaria conclusis prioribus transit, et potuisse Laterensem de ambitu accusare significat, nisi maluisset idcirco reum lege Licinia facere, ut haberet Iudices editicios. De cuius forma *et* acerbitate iam sumus in Argumento [d] prælocuti. Differentia igitur accusatoris ostenditur ideo invadentis in legem Liciniam, quod ambitus probari non possit, de quo Iudices ex reiectione haberi soleant: æqualem scilicet numerum reicientibus tam accusatore quam reo. Verum specta licentius omnem contextum huius . . . .[e] ut intelligas oratorem more speciem quandam . . . . In modum præscriptivum facta senatus consulti mentione,[f] quo secundum legem Liciniam quattuor edi tribus ab accusatore voluerit, ex quibus reo liceret unam repudiare, ut de tribus reliquis iud*icum* . . .[g] haberet editionem. Tamen ab accusatore sic fieri voluisse, ut eas ederet quas corruptas a Candidato criminaretur. Hic vero Laterensis noluerat ipsas edere, quibus dicebat pecuniam datam. Utique consulte, ne reo [h] a quo pecuniam sumpserant, favore [i] tacito patrocinarentur. Quasi ne-

---

[d] Interpretis nostri Argumentum Orationi huic præfixum amisimus, nam acephalus est Commentarius. Verum locus satis patet ex ipso Cicerone eiusq. recentioribus Interpretibus, quos vide.

[e] Hoc et sequens spatium vacuum in codice. Tum mendosa et corrupta lectio ac vix sanabilis.

[f] Codex *mentionem quæ.*

[g] Puto hîc esse lacunam, quia pagina desinit *Iud,* proxima autem incipit *haberet.*

[h] Cod. *reu.*

[i] Cod. *pavore.*

gare itaque temptavit accusari[d] posse lege Licinia Plancium: quando sint aliæ tribus editæ, nec illæ potissimum quæ sumpsisse pecuniam dicerentur, et quas ideo vel maxime senatus edi voluisset,[e] ut et iudicarent, et testimonium vel contra reum vel pro reo ex ipsa veritate perhiberent, qui sine dubio quid esset aput tribules suos gestum, optime scirent.

APUT EOSQUE ME, NE QUINQUE QUIDEM REIECTIS, QUOD IN PROXIMO REO DE CONSILII SENTENTIA CONSTITUTUM EST, COGAS CAUSAM DICERE. Edit. N. 40.

Iam de Sodaliciis causam dixerat .P. Vatinius eodem defendente .M. Cicerone;[f] cuius exemplo negat iniquitate[g] Laterensis esse Plancio permissum iudices reicere, quo manifesta sit improbitas obstinate conitentis inimici, ut reus innocens opprimatur conspiratione magis iniquorum Iudicum, quam criminis veritate convictus.

NON ENIM SI AUT PLANCIUS ITA VIXIT, UT OFFENDERET SCIENS NEMINEM, AUT TU ITA ERRASTI, UT EOS EDERES INPRUDENS, UT NOS, INVITO TE, TAMEN AD IUDICES NON AD CARNIFICES VENIREMUS, IDCIRCO ISTA EDITIO PER SE NON ACERBA EST.

---

[d] Cod. *accusare*. [e] Cod. *voluisse*.

[f] Hoc ipso anno, quo etiam Plancius defensus est. Nam Asconius ad Orat. *pro Scauro* testatur Ciceronem dixisse pro Vatinio, L. Domitio Ænobarbo et Appio Claudio Pulchro Coss. quorum in Consulatu Plancius defensus creditur. V. P. Manutium in Argumento huius Orationis *pro Plancio*.

[g] Cod. *iniquitatem*.

Periculosius aliquantum fuerat evectus, ut hoc dicendo, voluisti[e] Plancium, Laterensis, aput inimicos iudices accusari, offenderet animos eorum qui erant de causa pronuntiaturi. Vigilanter itaque illum quidem hoc animi habuisse testatus est, ut reus iniquis iudicibus uteretur. Sed fortunam multo prosperius secundasse, ut viri spectatæ humanitatis et incorruptæ religionis in hanc cognitionem venirent, quæ innocenti reo obesse non posset. Iudices ergo non læsit, et propositum malitiosi accusatoris ostendit,

Edit. N. 41. AN VERO NUPER CLARISSIMI CIVES NOMEN EDITICIUM IUDICIS NON TULERUNT?

Adhuc[f] eandem, quantum rebus ipsis apparet, inculcat iniquitatem iudicii, quod Laterensis ut ex editiciis haberet, maxime laboraverat. Et hac in parte commemorationem videtur facere Tullius eius temporis quo ser . .

. . . .

Ad Ed. N. 63. . . . partim malitiosis fraudibus deprehensum. Ideo tantum negavit ab se statim puniri, quod iratus esset. Quippe vir sapientia præditus altiore non putavit iudicii futurum quiquid fecisset iratus.[g]

NON VEREOR NE MIHI ALIQUID, IUDICES, VIDEAR ADROGARE, SI DE QUÆSTURA MEA DIXERO.

---

[e] Codex videtur habere *soluisti*. [f] Codex *Adhunc*.

[g] Hoc est illud celebre dictum: "Punirem, nisi essem iratus." Hinc autem haud scio an aliqua lux affulgeat loco Ciceronis N. 63, subobscuro: "Iubes Plancium de vitiis Laterensis dicere. Nihil "potest, nisi cum nimis in se iracundum putabis fuisse."

Ut se Laterensis ostenderet ædilitate fuisse Plancio digniorem, commemoraverat se apud Præneste ludos edidisse: Cyrenis etiam summa liberalitate in publicanos egisse: in Socios fuisse denique iustissimum. Quæ omnia iactantius ab illo dicta quam eleganter elevet et abiciat .M. Tullius consideremus. Persuadere vult namque omnia illa quæ foris gesserit, aput conscientiam populi .R. latere potuisse. Ac ne acerbius animum læderet audientis, de quæstura sua egit non sine figura *comparationis.*[a] Quod cum Lilybæo[b] decedens Puteolos adventasset, omnes eum ignoraverint primo ex provincia, tum[c] deinde ex Sicilia, *ad*[d] extremum ex Lilybitana venire. Quibus ipse varia sciscitantibus novissime cum permistione quadam stomachi responderit, se ad aquas potius in Campaniam venisse, ut interrogationes ipsorum ab se respueret, quos moleste ferebat ignaros esse quæsturæ, quam se meminerat magna cum laude gessisse. Proficit ad illam responsionem multa Romæ ignorari quæ foris gesta sunt a senatoribus. Ac propterea Laterensem frustra in illis, quæ extra urbem gesserat, habuisse fiduciam. In extremo tamen fine huius capitis aliquanto obscurius dixit:

SED EA RES, IUDICES, HAUD SCIO AN PLURIS MIHI FUERIT, QUAM SI MIHI TUM ESSENT OMNES GRATULATI. Edit. N. 66.

---

[a] Spatiolum in Codice, quod sic replevi ex coniectura.
[b] Cod. *Libyæ.* [c] Cod. *tunc.* [d] Cod. *de.*

Hoc ait, magis lætatus sum ignorasse multos ex qua provincia venirem, *quam*[a] si venienti mihi gratularentur. Perstringere enim voluit invidiam præsidum, qui spoliatis provinciis revertantur: ac propterea eos amici sui cum gratulatione suscipiant, quod divites evenerint.

Edit. N. 67. EADEM IGITUR, CASSI, VIA MUNITA LATERENSI EST, IDEM VIRTUTIS CURSUS AD GLORIAM: HOC FACILIOR FORTASSE, QUOD EGO HUC A ME ORTUS ET PER ME NIXUS ASCENDI.

Nota gratificationem molestam et cum magnis amaritudinis aculeis interpositam. Dicens namque non aliter ad honores adipiscendos perventurum esse Laterensem, quem[b] Tullius ipse . . [c] . de . . . Subiunxit testificando, se non generis nobilitate sed virtute ad omnis magistratus pervenisse. Laterensem hoc amplius adiumenti habiturum, quod nobili familia ortus in candidam veniat. Sibi ergo adiudicavit non lænocinia[d] gencris sed præstantiam virtutis: illi vero spem de Maioribus dedit, quod suffragium scimus esse fortunæ.

N. 68. QUAMQUAM DISSIMILIS EST PECUNIÆ[e] DEBITIO ET GRATIÆ.

[f] *Nunc* adgreditur quæ proficient et

---

[a] Supplevi *quam*.
[b] Codex *quem*, sed videtur corrigendum *quam*.
[c] Spatia vacua in Codice.
[d] Sic *lænocinia*.
[e] Cod. FORTUNÆ, sed corrigendum fuit PECUNIÆ, nam sic habent Edd. et sic legit inferius noster Interpres.
[f] Spatium, tum sequitur *qui*, quod ego mutavi in *nunc*.

ad coniecturæ statum et ad illum compensativum. Nam . . .[c] valebit gratia Ciceronis ipsius et eorum qui propter illum Plancio fuerint adiumento ad impetrandam ædilitatem. Nec non etiam per hoc . . .[d] idest compensatio exhibebitur, ut iudices reo maxime prodesse patiantur ad impunitatem præsentis huiusce discriminis ea beneficia quæ Ciceroni præbuerit exolanti, ut haberet in integro civem patria[e] quem reposceret. Verbum hoc quoque non incuriose adnotemus, quod "DEBITIONEM PECUNIÆ dixit."

GRATIAM AUTEM ET QUI REFERT HABET: ET QUI HABET, IN[f] EO IPSO QUOD HABET, REFERT. Edit. N. 68.

Locus etsi generalis de animi religione, qui debitam pro beneficio gratiam referat, tamen causæ præsenti plurimum patrocinabitur ad favorem copiosius ratiocinanti M. Tullio. Nec non etiam iuxta præcepta sapientium, qui animos ingratorum non parum cuidam crimini obnoxios arbitrantur, quando et parentibus et amicis et protectoribus salutis nostræ hoc testimonium debeamus, *ut* nos in quantum *fieri* potest gratos adprobare velimus.[g] De Officiis idem Lib. I.[h] sic ait: "Quod si ea quæ utenda ac-"ceperis, maiore mensura, si modo possis,

---

[c] Spatium, tum sequitur *valebit*, etc.
[d] Spatium.
[e] Forte scribendum *paria*.
[f] Desunt in codice verba ET QUI HABET IN
[g] Codex "hoc testimonium debeamus, nos in quantum potest "gratos adprobare possimus."
[h] Cap. XV.

"iubet reddere Hesiodus, quidnam beneficio "provocati facere debemus?" Accedit hoc etiam, quod genus maximi criminis aput Persas fuisse traditur, siqui extitisset ingratus, meminitque rei Xenophon ΚΥΡΟΥ ΠΑΙΔΕΙΑΣ[e] Libro primo[f] secundum hæc verba conscribens: ΔΙΚΑΖΟΥΣΙ ΔΕ ΚΑΙ ΕΓΚΛΗΜΑΤΟΣ, ΟΥ ΕΝΕΚΑ ΑΝΘΡΩΠΟΙ ΜΙΣΟΥΣΙ ΜΕΝ ΑΛΛΗΛΟΥΣ ΜΑΛΙΣΤΑ, ΔΙΚΑΖΟΝΤΑΙ ΔΕ ΗΚΙΣΤΑ, ΑΧΑΡΙΣΤΙΑΣ· ΚΑΙ ΟΝ ΑΝ ΓΝΩΣΙ ΔΥΝΑΜΕΝΟΝ ΜΕΝ ΧΑΡΙΝ ΑΠΟΔΙΔΟΝΑΙ, ΜΗ ΑΠΟΔΙΔΟΝΤΑ ΔΕ, ΚΟΛΑΖΟΥΣΙ ΚΑΙ ΤΟΥΤΟΝ ΙΣΧΥΡΩΣ· ΟΙΟΝΤΑΙ ΓΑΡ ΤΟΥΣ ΑΧΑΡΙΣΤΟΥΣ, ΚΑΙ ΠΕΡΙ ΘΕΟΥΣ ΑΝ ΜΑΛΙΣΤΑ ΑΜΕΛΩΣ ΕΧΕΙΝ ΚΑΙ ΠΕΡΙ ΓΟΝΕΑΣ, ΚΑΙ ΠΑΤΡΙΔΑ, ΚΑΙ ΦΙΛΟΥΣ. . . . . gatum velit emere beneficium, quod non acceperit confitendo.

Edit. N. 72. AT ID ETIAM GREGARII MILITES FACIUNT INVITI, UT CORONAM DENT CIVICAM, ET SE AB ALIQUO SERVATOS ESSE FATEANTUR.

Inductionem sollertissime facit ex iis militibus qui protecti a commilitonibus suis veluti testimonium gratiæ referant, iisdem coronam civicam dando, quam traditur de gramine fieri solitam.[g] Et mire extenuavit, gregarium

---

[e] Tam hæc quam sequentia verba græca absunt a Codice, relicto spatio vacuo. Hoc mihi auget suspicionem, librarium græcæ linguæ ignarum omisisse verba græca Commentarii hic et alibi, relictis spatiis, ut ibi scriberentur deinde a græce perito. Vide tamen inferius N. 87.

[f] Cap. II. 7.

[g] *Civicam Coronam* dicit noster Interpres fuisse e gramine. Graminea fuit quidem *obsidionalis*, sed de *civica* scribit Plinius XVI. 5. "Civica iligna primo fuit, postea magis placuit ex esculo Iovi sacra. "Variatumque et cum quercu est, ac data ubique, quæ fuerat,

militem dicendo invitum hoc facere, ut offerens coronam civicam debitorem beneficii *se*[d] constituat. Quod igitur anxie et moleste gregarius miles patitur, id, nullis acceptis beneficiis, onus verecundiæ suæ non imponeret[e] consularis.

NOLO CETERA QUÆ A ME MANDATA SUNT LITTERIS RECITARE. Ed. N. 74.

Suffecerat enim de ea oratione dixisse, qua vel senatui vel populo gratias egit.[f] Nunc autem et de versibus suis facere mentionem videtur, quos intempestivum sit in iudiciali dissertatione recitare. Non potuit tamen in totum de is[g] tacere. Nam de consulatu suo scripsit poetico metro, quæ mihi videntur Opera minus digna talis viri nomine.[h]

"custodito tamen honore glandis." Quernam aut ilignam fuisse *Civicam Coronam* testatur etiam Gellius V. 6. Sed nostri Interpretis, præsertim si is est Asconius, non levis auctoritas est. Ceterum etiamsi hoc loco Interpres Coronam civicam minus recte *gramineam* dixisset. meminerimus errores nonnullos ipsius etiam Asconii a Criticis notari. Vide infra, p. 110. n. 3. Errorem contrarium peccat Plinius, lib. xvi. 5. dicens *frondeam* coronam obsidionalem, de qua ibi loquitur: quam tamen lib. xxii. 4. recte *gramineam* idem vocavit. Vide Paschalium *de Coronis* Lib. vii. cap. xvi.

[d] Supplevi *se*.

[e] Cod. *imponeretur*.

[f] Considerent hunc etiam locum ii recentiores Critici, licet summi, qui Orationes *post reditum in Senatu*, et *ad Quirites* Ciceroni abiudicant.

[g] Alias monuisse me memini. Veteres Iotacismi vitandi causa pronunciasse sæpe unam i pro duabus. Vide Quintil. Inst. i. 5. ibique Notas Itaque vides hîc *is* pro *iis* Ceterum superius habes *iisdem*, non *isdem*, quod tamen ipsum alibi tibi occurret.

[h] Haud ita loquitur noster Interpres, quod forte putet spurium illud Ciceronis Poema. Nam ipse Cicero ex eo versus LXXVIII. inseruit Libro i. *de Divinatione*, præter Servii. auctoritatem ad Virgilii Eclog. viii. v. 106. Hoc tantum Interpres significat, non vi-

Edit. N. 75. NAM ISTIUS VERBI, QUOSQUE, POTERAT HÆC ESSE INVIDIA. DATUS EST TIBI ILLE: NON FACIS FINEM.

[h] . . . Unde quo minus inpudens videretur hæc compensativa defensio, dicente Laterense, quousque vis servatos esse quos diligis? Et pro Cispio causam dicente sic rogasti, et precibus tuis ambitum pene movisti; opposuit acutissimam responsionem, merito hæc ab eo dici potuisse *quem Urbs* Romulo comparasset.[i] Porro autem cum pro Cispio non optinuerit, vel pro hoc optinere debere, qui et innocens sit, et de salutis suæ conservatione benemeritus. Animadverte quo modestiæ temperamento hæc exsequatur, ut nihil inpudentiæ, multum religionis habeat oratio.

N. 76. SIC ENIM DIXISTI: VIDI EGO TUAM LACRIMULAM.

Laterensis in Tullium dixerat epilogos eius inridens, quos eum constat nimium flebiles et miserationis plenos in iudiciis semper habuisse. Et in Oratore suo eandem affectuum movendorum sibi præstantiam vindicavit.[k] Ac ne

---

deri sibi opera poetica æque digna Cicerone, ac ea quæ soluta oratione scripta sunt: quod facile quivis concedet.

[h] Spatium in Codice.

[i] Oblitterata fere scriptura "potuisse t . . . Romulo comparas-" "set," Romulo autem comparatus est Cicero, cum ob oppressam Catilinæ Coniurationem *Patris Patriæ* nomen obstinuit. Nota, litteras, quibus puncta subscribimus, dubiæ lectionis esse in Codice.

[k] In *Oratore* XXXVII-XXXVIII. Ita de se Tullius: "Quid ego de miserationibus loquar? quibus eo sum usus pluribus, quod etiamsi

hæc lænocinia potius adhibere fallendis iudicibus, quam vere secundum animi sui motum facere existimetur, adseverat Cispium hoc suæ orationis adfectu non indignum fuisse, cum quo[h] post amicitiæ reconciliationem ita participatu fortunæ suæ dolorem senserit, ut inpense diligi mereretur.[i]

SED ME CUM TANTUM IAM PLANCIO DEBEREM, RACILI BENEFICII[k] FUISSE CONTENTUM. Edit. N. 77

Extenuaturus merita .Gn. Plancii quæ intulisse in .M. Tullium videretur, de .L. etiam Racilio quædam Laterensis commemoraverat, qui magis adiumento Ciceroni fuisse videatur, cum Plancius in tribunatu suo non tantopere sit pro eiusdem restitutione conisus. Ne hoc igitur ei deesset ad gratiam, confitetur, animo promtissimo etiam hunc Plancium erga restitutionem suam fuisse. Sed quoniam omnia per Racilium videbantur impleta, non expetisse se dicit, ut etiam ille ex superfluo laboraret, qui tantum sibi in quæstura Macedonica præstitisset. Extat autem Libellus eiusdem Ciceronis,

---

" plures dicebamus, perorationem mihi tamen omnes relinquebant
" . . . Miseratione nos ita dolenter uti solemus, ut puerum infan-
" tem in manibus perorantem tenuerimus: ut alia in causa, ex-
" citato reo nobili, sublato etiam filio parvo, plangore et lamenta-
" tione compleremus forum."

[h] Videtur corrigendum *cum is.* Nam Cispius exulis Ciceronis misertus fuerat, ut vides in hoc loco Orationis.

[i] Codex *meretur.*

[k] Nota lectionem diversam ab ante edita *beneficiis* vel *beneficio.* Nota etiam *contentum* cum genitivo, et novum hoc exemplum syntaxeos adiice iis, quæ seu dubia seu certa laudat Forcellinus voc. *contentus cum genitivo.*

qui ita inscribitur: EDICTUM LUCII RACILII TRIBUNI PLEBIS,[h] quod sub nomine ipsius Cicero inscripsit IN INVECTIONEM[i] .P. CLODI.

Edit. N. 78. ILLO .S.C. QUOD IN MONUMENTO MARII FACTUM EST.

In templo scilicet Honoris et Virtutis, in quo actum primum videtur de restitutione Ciceronis.[k]

QUO QUIDEM ETIAM MAGIS SUM, NON DICAM MISER, NAM HOC QUIDEM ABHORRET A VIRTUTE VERBUM, SED CERTE EXERCITUS.

Hanc sententiam secundum illos philosophos intulit, qui existimaverunt semper beatos esse sapientes, numquam miseros[l] existimandos.

---

[h] Nota Opusculum deperditum, immo prorsus, quod sciam, inauditum Ciceronis. L. Racilius Tribunatum iniit cum Plancio aliisq. eo anno quo Cicero ab exilio revocatus est. V. II. ad Q. Fratrem Epist. 6. et ad Famil. I. Epist. VII. Tum Ciceronis Historiam per Franc. Fabricium ad annum U. C. DCLXXXXVI.

[i] Nempe Cicero opposuit hunc libellum Invectioni P. Clodii.

[k] Ædem Honoris extra portam Collinam memorat Tullius II. de Leg. cap. XXIII. Ædem sive templum Honoris atque Virtutis IV. in Verr. cap. LIV. Livius lib. XXVII. cap. XXV. Hoc templum Cicero de Natur. D. lib. II. cap. XXIII. renovatum a Marcello dicit. At quomodo noster Interpres dicit Marianum templum Honoris et Virtutis? Accedit, quod Valerius Maximus I. cap VII. 5. ait: "In "æde Iovis Mariana S. C. de reditu eius (Ciceronis) est factum." Et Cicero ipse de Prov. Consul IX. ait: Q. Metellum Nepotem in templo Iovis Optimi Maximi *(ubi agebatur de revocando Cicerone)* secum absentem rediisse in gratiam. Noster quidem Interpres tantæ eruditionis est, ut non facile erroris damnandus sit. Recole tamen superius p. 106. n. 3. Et quidem ipsius Asconii nonnullos lapsus Viri κριτικώτατοι notarunt. Vide in Editione Lugd. Batav. anni MDCLXXV. pp. 209. 218. 225. 255. 262. 266.

[l] Codex "numquam non miseros existimandos."

Ac siquid adversi prudentibus eveniret, non pœnam magis et calamitatem, quam exercitationem esse fortunæ.

HIC ETIAM ADDIDISTI ME IDCIRCO MEA LEGE EXILIO AMBITUM SANXISSE,[a] UT MISERABILIORES EPILOGOS POSSEM DICERE. Edit. N. 83.

Varia cavillatione Laterensis exercuerat asperitatem stomachi sui in .M. Tullium, ut etiam ea, quibus illius oratio maxime floruit, elevare . . . perseveraret. Nec ignoramus Auctore ipso Cicerone et .C. Antonio Cons. legem severiorem de puniendo ambitu scriptam, cuius meminit pro Murena.[b] Nam clementior aliquatenus videbatur lex fuisse Calpurnia. Hic ergo mutuatus est occasiunculam quandam amarius lacessendi, ut videretur atrociorem pœnam ea propter adversus ambitum decrevisse, ut pro reis multo lacrimosius peroraret. Non minus tamen urbane et ipse respondet, denotans nimiam Laterensis et inmoderatam contumeliosæ audaciæ insulsitatem dicendo:

SED HÆC NESCIO QUOMODO FREQUENTER IN ME CONGESSISTI, SANEQUE IN EO CREBER FUISTI.

Ut hæc inmodica creber fuisti, et ab inpudentiæ temeritate venientia[c].

RHODI ENIM, INQUIT, EGO NON FUI. ME VULT FUISSE. N. 85.

---

[a] Hinc corrigantur Editiones, in quibus corruptissime legitur, *ex isto ambitu traxisse.*

[b] Recole Orat. *pro Sylla* cum nostro Interprete p. 71. ibique notam nostram r.

[c] Locus mutilus, ut videtur.

Et verissime constat in prima adulescentia Rhodum navigasse M. Tullium, ut arte oratoria, in qua insigniter præstitit, erudiretur aput notissimum rhetora et magistrum illius ætatis Apollonium.[d] *Hic*[f] est qui Molo cognominatus est.

IN EO ME REPREHENDISTI, QUOD NIMIUM MULTOS DEFENDEREM: UTINAM ET TU QUI POTES, ET CETERI, QUI DEFUGIUNT, VELLENT ME LABORE HOC LEVARE!

Mira cum verecundia et moderatione et ceterorum ingenia depressit, et suam in dicendo præstantiam omnibus anteposuit, quando graviores causas illi declinaverint, non sufficientes implendæ defensioni, ipse vero confidentissime susceperit, quo agente reus innocens indubitatam sibi spem victoriæ polliceretur.

ADMONEFECISTI ETIAM, QUOD IN CRETA FUISSES,[g] DICTUM ALIQUOD IN PETITIONE TUM[h] DICI POTUISSE.

Ad Scolastica*m* levitate*m et* quasi mimica*m* spectat[i] huiusmodi locus. M. Tullium vide-

---

[d] Rem narrat ipse Tullius in *Bruto* XCI. "Rhodum veni, meque "ad eundem, quem Romæ audiveram, Molonem, applicavi, cum "actorem in veris causis, scriptoremque præstantem, tum in no- "tandis, animadvertendisque vitiis, et instituendo docendoque pru- "dentissimum. Is dedit operam (si modo id consequi potuit) ut "nimis redundantes nos, et superfluentes iuvenili quadam dicendi "impunitate et licentia reprimeret, et quasi extra ripas diffluentes "coerceret."

[f] Supplevi *hic*. [g] Cod. *fuisse*: [h] Edd. *tua* pro *tum*.

[i] Codex *Scolastica levitate quasi nimica spectante*. Porro quod attinet ad vocabulum *scolastica*, id sine adspiratione scribitur, sive mendose, sive etiam de industria. Cicero quidem *Orator* XLVIII. ait: "Quin ego ipse, cum scirem ita Maiores locutos esse, ut

batur denotasse Laterensis, quod multa quæ facetius dici possent cum aliqua figurandi suptilitate[a] non prætermitteret. Itaque hoc eum dicto perstrinxerat, habuisse materiam de vocabulo Cretæ insulæ aliquid in se iculariter dicendi, nec tamen id excogitasse. Constabat enim Laterensem fuisse in Creta provincia. Et solebant omnes Candidati alba creta oblinini cervicem,[b] ut populo notabiliores essent. Ergo dicit eum iocari potuisse, si ad hoc adiecisset ingenium, ut id inveniret quod poterat occurrere. Sed acute rapuit ex eodem proposito validam responsionem, ut magis eum cupidum lacessendi ostenderet, qui sibi ea ultro suggereret quæ potuisse dici fateretur, nec tamen dicta sint.

TE AIEBAS DE TUIS REBUS GESTIS NULLAS LITTERAS MISISSE, QUOD MIHI MEÆ QUAS AD ALIQUEM MISISSEM, OBFUISSENT.

Hæc omnia non ad reum sed ad omnem[c] Ciceronem pertinent, quasi asperius a Laterense proposita. Nam significat Epistulam non mediocrem ad instar voluminis scriptam, quam Pompeio in Asiam DE REBUS SUIS IN

"usquam, nisi in vocali, adspiratione uterentur, loquebar sic, ut "*pulcros, Cetegos, triumpos, Kartaginem* dicerem: aliquando, "idque sero, convicio aurium, cum extorta mihi veritas esset, usum "loquendi populo concessi, scientiam mihi reservavi." V. etiam superius p. 11. n. 2.

[a] Cod. *suptilitati.*

[b] Nota morem Candidatorum oblinendi cervicem creta: nam plerique Antiquarii togam utique sed non cervicem creta oblitam a petitoribus narrant.

[c] Ita perspicue Codex *omnem.*

CONSULATU GESTIS miserat Cicero[a] aliquanto, ut videbatur, insolentius scribtam, ut Pompei stomachum non mediocriter commoveret: quodquadam superbiore iactantia omnibus se gloriosis ducibus anteponeret. Hoc igitur vult esse purgatum, dicens nuntiasse Gn. Pompeio patriæ conservationem, nec inscienter de semetipso gloriatum. Obfuerunt[b] autem revera: nam sic effectum est, ut ei Pompeius contra Clodianam vim non patrocinaretur.

Edit. N. 86. QUORUM ALTER EXERCITUM PERDIDIT, ALTER VENDIDIT.

Post Ciceronis[c] perniciem, *favente* Clodio *Tribuno pl. sortiti sunt* Provincias *Piso* Macedoniam, Gabinius Syriam. Sed hic *alterum* exercitum perditum a Pisone, alterum a Gabinio venisse significat: scilicet quod re-

---

[a] Hanc quoque longam Ciceronis Epistulam (seu Epistolam vetere orthographia) iniuria temporum amisimus: sed eius certe notitiam ex nostro Interprete haurimus. Exstat tantum brevis Ciceronis Epistola ad Pompeium (lib. v. epist. VII. ad Famil.) qua ei in Asia digenti gratulatur de Mithridate victo, et simul expostulat, quod in litteris quas ad se misisset, nullam sibi rerum contra Catilinam in suo consulatu gestarum gratulationem significasset. Nimirum Pompeius priorem illam Ciceronis gloriosam Epistolam moleste ferens, et simul etiam eiusdem gloriæ subinvidens (Vide I. ad Attic. epist. XIV.) frigide admodum tum responderat, et nullum ei deinceps contra Clodianam vim patrocinium exhibuit. Cicero tamen II. Philipp. cap. V. ait: "Maxime vero consulatum meum Gn. "Pompeius probavit: qui ut me primum decedens ex Syria vidit, "complexus et gratulans, meo beneficio patriam se visurum esse "dixit." Quod si vere narrat Cicero, id a Pompeio stomachante licet Ciceronis iactantiam, aut etiam gloriæ eius invidente, urbanitatis tamen causa factum fuit.

[b] Nempe litteræ ad Pompeium missæ.

[c] Locus paulo oblitteratior in Codice sic habet: *Dictas . . . Gabinio . . . Clodi . . .*

gem Ptolemæum, acceptis decem millibus talentum, per vim militarem exercitus romani restituisset in regnum suum. Et simul in hoc epiciremate[f] adhibet eundem colorem iam sibi in multis oracionibus frequentatum, idcirco decedere urbe maluisse, nequid seditiosæ dimicationis cum multorum exitio moveretur.

QUEM QUIDEM SALTATOR ILLE CATILINÆ CONSUL PROSCRIBTIONIS DENUNTIATIONE TERREBAT. Edit. N. 87.

ΙΔΙωC[g] pro stomachi sui acerbitate Gabinium lacerat quasi famosæ inpudicitiæ: quem minitatum proscribtionem equestri ordini ea propter dicit, quod illius edicto[h] fuisset Lælius[i] eques .R., cui familiaris amicitia cum .M. Tullio fuerat, relegatus.

IUSTISSIMOS OMNIUM METELLORUM ET CLA- Edit. N. 89.

---

[f] Ita sine adspiratione pro *epichiremate*. Recole superius p. 112. notam 5.

[g] Dixi ad Orat *in Clod. et Cur.* p. n. 1. scriptorem huius Codicis omittere græca verba: idque patet evidentius in hac ipsa Orat. p. 106. ubi totus textus Xenophontis prætermittebatur, relicto spatio. Hoc tamen loco mihi plane videor legere ἰδίως, quod adverbium hîc ad rem facit.

[h] Cod. *dicto*. Sed correxi *edicto*, quum ad Orat. *in Pisonem* x. scribat Asconius: "L. Lamiam a Gabinio consule edicto relegatum "esse iam diximus." Uni observa novum argumentum comprobans, Interpretem hunc nostrum revera esse Asconium. Nam quod ad Orat. *in Pison.* memorat se iam dixisse, hoc videlicet in loco nunc nobis occurrit.

[i] Cod. evidenter *Lælius* non *L. Ælius*. Et quidem Cicero XI. ad Attic. 7. nomen huius viri scribit *Lælium*. At *in Pison.* XXVII. *L. Ælium*. Alibi sæpe meminit huius viri et facinoris Cicero, nempe *post Red. in Sen.* v. et *pro Sextio* XII. et ad *Fam.* XI. 16. 17. XII. 29. Quibus in locis vel *L. Lamiam*, vel *Lamiam* scribit. Asconius item loco laudato in nota superiore nuncupat *L. Lamiam*. Quoniam igitur prænomen *Lucii* sæpe huic viro tribuitur, nuncupetur sane integre L. Ælius Lamia. Et quidem facilis fuit illa separatio *L. Ælius* pro *Lælius*.

RISSIMOS TRIUMPHOS GLORIÆ LAUDE SUPERAVIT.

Cum semetipsum præpositurus sit .Q. Metello Numidico, et illum tamen copiosissime laudat, et ad quoddam egregium specimen virtutis amplificat: quod maluerit in exilium,[f] quam iurare in agrariam legem Tribuni pl. Apulei Saturnini.[g] Verum sibi, ut cœperam dicere, ipse Tullius maximam laudem præstruxit, qui ad tutelam salutis publicæ patientiam discessus illius, quamvis non mediocri cum dolore, susceperit. Ut multo sit laudabilior Metello, qui non tam pro vigore sententiæ suæ

. . . .

*mi*serabiliter intellegatur, qualis ferme lugen-
N. 99. tium mæror est, quos impetus nimiæ karitatis exagitat.

THESSALONICAM ME IN QUÆSTORIUMQUE PERDUXIT.

Hospitium quæstoris significans proprie secundum vocabulum magistratus, etiam loco ipsi nomen dedit. Nunc autem omnia, in quibus variæ dignitatis præsides habitent, prætoria nominantur.[h]

---

[f] Nempe *ire.*

[g] De Saturnini lege agraria et Metelli exilio lege Appianum Bell. civ. lib. I. p. 625. et seqq.

[h] Tamen ad lib. i. *in Verr.* XIV. Asconius p. 80. monet: "Veteres omnem magistratum cui pareret exercitus, *prætorem* appellaverunt: unde et *prætorium* tabernaculum eius dicitur 'Item Festus voc. *Prætoria porta*' Initio prætores erant qui nunc consules, et ii bella administrabant: quorum tabernaculum quoque dicebatur *prætorium.*" Hæc de usu et notione etiam antiqua vocabuli *prætorium.*

SIQUIDEM EGO TIBI VIVUS NON PROSUM, QUI FORTASSE MORTUUS PROFUISSEM. N. 101.

Lacrimis causam dubiam perorat,[d] adfectus animi sui cum varia miseratione pro *tensul,[g] tantum auxilii reus habeat, quantum suo dolori patronus adiecerit.

SALUTEM TIBI IDEM[h] DARE POSSUNT QUI MIHI REDDIDERUNT. N. 102.

Eximius[i] locus ad permovendos Iudices. Procliviorem facit impetrandi facilitatem, constituens in eorum misericordia firmamentum salutis .Gn. Plancii, per quos ipse sit reditum consecutus. Ita eleganter et pro se gratias agit, et huic pares humanitatis eventus deprecatur.

MECUM VOS SIMUL HIC MISERRIMUS ET OPTIMUS OBTESTATUR PARENS, ET PRO UNO FILIO DUO PATRES DEPRECAMUR.

Valde copulatis utrinque personis et in patre sine dubio plurimum constituit miserationis, et sibi eandem vim sollicitudinis vindicavit: quasi uterque .Gn. Plancio pater sit, alter natura, alter officio gratiosus.

Explicit Oratio.

---

d Codex corrupte et dubie "lacr . . . sis leg . . . aubiam Perorat."
g Codex *proluens*, sed videtur scribendum *provolvens.*
h *Idem* pro *iidem.*
i Codex "nimis hos ad permovendos Iudices."

AD

ORATIONEM EDITAM TULLIANAM

IN VATINIUM

COMMENTARIUS ANTIQUUS INEDITUS

QUI VIDETUR ASCONII PEDIANI.

IN VATINIUM.

. . . rat ostentui vulgo. Verburgii Edit.

CONSUL POPULI .R. MODERATISSIMUS SUBLATO AUXILIO, EXCLUSIS AMICIS, VI PERDITORUM CONGESTA. N. 21.

Magnum cumulum fecit invidiæ et a persona quod consulem, et ab eius moribus, *et*[h] quod prohibito amicorum præsidio, et per violentiam seditiosæ multitudinis opprimere conatus sit eum potissimum, qui auspicato et rite omnia fieri gestiebat.[i]

UT CONSULI DOMUS EXILIUM ESSE NON POSSET. N. 22.

Non tantum miserabilem fecit hac necessitate .M. Bibulum, verum etiam summa invidia laceravit Vatinium, qui velut damnatam Consulis maiestatem primo in latebras coegerit, deinde occultantem se ne periculum salutis incideret,[k] extrahere domo sua contenderit, ut perditorum manibus addiceret, nec habere Consul exilium domi suæ tutum posset.

EAM REMP.[a] QUÆ AUSPICIS CONSTITUTA EST. Edit. N. 23.

---

[h] Videbatur intersereudum *et*, nempe *et quod prohibito*, etc.

[i] M. Bibulus C. Cæsaris collega in consulatu, quum huic tyrannico pæne more magistratum gerenti resistere non posset, domi se continuit: et quoad potestate abiit, nihil aliud, quam per edicta illi obnuntiavit, diem esse festum, quo per leges, quicquam agere, fas non erat. Quapropter Vatinius, unus e Tribunis pl. Bibulum domo sua in carcerem trahere aggressus est. V. præter Ciceronem, etiam Dionem Lib. XXXVIII. 6. Suetonium et Plutarchum in *Cæsare*.

[k] *Incidere* cum quarto casu sine præpositione. Adiice hoc exemplum ceteris seu certis seu dubiis a Forcellino laudatis.

[a] Codex *rem*.

Notissimum habemus, auspicante Romulo qui Palatium ceperat, et Remo qui Aventinum, priusquam Roma conderetur auspicia esse capta: primumque sex vultures Remum vidisse. Dein postea Romulum duodecem.[b] Atque ita et Romam conditam et ipsos reges appellatos: et illum quod prior auspicium cepisset, Romulum vero quod maius.

ETIAM INTER SYLLANA ARMA VIXERUNT.

Leges dicit Æliam et Fufiam, quæ[c] non sinebant prius aliqua de re ad populum ferri, quam comitia haberentur ad designandos magistratus. Sæpe harum feci mentionem.[d] Vixisse autem leges dixit, quod multo tolerabilius est quam si . . . . ne modum . . . . est mortuas. Cum id dictum ab Hortensio elevasset, pro inepto inrisisse Tullius videbatur.

FUERIS NE TANTA CRUDELITATE, UT DELECTOS VIROS PRINCIPES CIVITATIS DELERE TUA ROGATIONE CONARERE?

De hoc tempore locuti sumus in Oratione quæ hanc præcedit[g] .L. Vettium perditum hominem instinctu Vatini professum esse aput

---

[b] Ita Cod. *duodecem.* Rem autem narrant etiam Livius Lib. I. Cap. VII. et Auctor Libelli *de Origine Gentis romanæ* Cap. XXIII.

[c] Cod. *Legibus Ælia et Fusia qui*, etc.

[d] Revera Asconius, quem nos putamus auctorem huius quem edimus Commentārii, meminit harum legum ad Orat. *in Verrem de præt. urb.* p. 99. et *in Pison.* p. 160.

[g] Nempe ait Interpres se locutum de hoc tempore in Commentario quem scripserat Orationem *pro Sextio*, quæ Oratio ordine

senatum, se indicaturum plerosque nobilissimos viros de interficiendo Pompeio inisse coniurationem. Id nempe negotium sibi mandatum.[h] Hunc tamen Vettium in carcerem coniectum ipsis potissimum auctoribus, qui eum ad mencium subornassent.[i]

.C. CURIONEM PERPETUUM HOSTEM IMPROOBORUM.

Et hunc .L. Vettius nominasse inter ceteros videbatur veluti mandatæ[k] in Pompeium cædis auctorem. Qui tamen Curio honorifice nunc a Tullio nominatur,[l] cum vehementer et aspere laceratus sit ab eodem in Oratione, qua et ipsum et .P. Clodium lacessivit.[m]

QUI DUOS NEFARIOS PATRIÆ PRODITORES LEGIBUS EXTERMINARAT. Edit. N. 23.

De .L. Æmilio Paulo[n] dicit, qui consulatum postea cum M.[o] Marcello gessit ante annum

---

ipso et materia hanc *in Vatinium* præcedit. Siquidem in iudicio Sextii Vatinius testis productus, quum acerbum in eum testimonium dixisset, hac Vatiniani Oratione a Cicerone Sextii patrono deinde exagitatus est.

[h] Cod. *Id neque negotium sibi mandasse.*

[i] V. hanc Orationem *in Vatin* XI..

[k] Cod. *vel mandate.*

[l] Etiam Act I. *in Verr.* VII. ait Cicero: "C. Curio, quem ego "hominem honoris potius, quam contumeliæ causa nominatum "volo."

[m] Huius deperditæ Orationis nos particulas non paucas superius edidimus.

[n] Cod. *.L. Æmilio Balbo*, sed bene inferius *Paulus*: quare et hic emendavimus *Paulo*, quum ipse se corrigat noster Interpres.

[o] Ita Codex *.M. Marcello*, sed scribendum est .C. Marcello. Nam hic consulatum gessit cum L.Æmilio Paulo anno qui proxime bellum civile præcessit Pompeii et Cæsaris. V. Sigonii Comment. in Fastos. M. autem Marcellus fuerat consul cum Ser. Sulpicio Rufo anno superiore.

quam bellum civile Pompei et Cæsaris exardesceret. Hic igitur Paulus accusare instituerat de vi .L. Catilinam, et, ut quidam memoriæ tradiderunt, .C. Cethegum. Sed enim Catilina deficiens ab rep. se ad arma contulerat. Cethegus quoque in eadem coniuratione[h] consumtus est.

Edit. N. 27. SPOLIARETUR BENEFICIO ET ÆQUITATE LEGIS TUÆ.[i]

Legem quidem hanc non improbabilem videbatur P. Vatinius in tribunatu suo perrogasse, ut alternorum Iudicum reiecto fieret. Sed acute detrahit et laudem quam de æquitate legis consequi poterat, eo scilicet quod egerit, ut .C. Antonius, qui Collega .M. Tulli fuerat in consulatu, ante reus fieret, accusantibus .Q. Fabio Maximo et .M. Cælio Rufo, quam lex Vatinia de reiectione iudicum perferretur: ut posset æquissimo iudicio reus Antonius ea

---

[h] Cod. *perseveratione*, quod retinendum non videbatur. Et Cethegi quidem supplicium narrat Sallustius Bell. Catil. p. 50.

[i] Hanc legem Vatiniam appellat hoc loco Cicero *de alternis consiliis reiiciendis*. Quæ autem sint *alterna consilia* negat se posse explicare Antonius Augustinus ad hanc legem. Verum ex nostro Interprete patet hoc loco nihil aliud indicari nisi *alternorum Iudicum* reiectionem. Rem optime, ut mihi videtur, explica Pighius Annal. Tom. III. p. 354: "Legem iudiciariam tulit (P. Vatinius) "de alternis iudiciis reiiciendis, ut eam appellat Cicero, qua reo "actorique dabatur alterna reiectio iudicum. Quam legem cum "promulgasset Vatinius, et C. Antonium paulo post reum futurum "cognovisset, expectavit in ea preferenda donec Antonius reus "fieret, legique tum addidit limitionem, ut solummodo de iis "posset intelligi, quorum nomina post eam latam deferrentur." Reiectionem iudicum alternorum memorat Cicero etiam in Orat *pro Plancio* XI. quæ quidem Oratio dicta fuit anno U.C. DCIC. videlicet quinto post Vatinii Tribunatum, qua potestate quum fungeretur, tulerat eam legem Vatinius.

feriri.[a] Cum præsertim esset illi Vatinius adfinitate coniunctus. *Nam* filiam .M. Antonii Fratris eius habuerat in matrimonio:

ILLO IPSO ANNO QUO LEX LATA EST DE PECUNIIS REPETUNDIS. Edit. N. 29.

Locupletatum interversa pecunia .P.[b] et spoliatis etiam publicanis Vatinium dicit, ut ex paupertate ad summas divitias perveniret, non sine quadam *cautione* ne Cæsarem *offenderet*[c] cui acceptissimus erat:[d] eo, inquit, anno ditatus est, quo lex de pecuniis repetundis lata est ipso scilicet Cæsare, ut videatur et ille inpudenter Vatinio favere contra leges etiam Iulias committenti.

CUI TOTIENS MALEDICAS, QUOTIENS TE ILLI ADFINEM ESSE DICIS.

Propter matrimonium videlicet Antoniæ, quam Vatinius habuit uxorem. Nec ignoramus .C. Cæsari fuisse quandam cum illis adfinitatem. Quippe .M. Antonius, qui postea tri-

---

[a] C. Antonius velut Catilinariæ quidem coniurationis socius accusatus est, sed damnatus a Iudicibus quod provincias spoliavisset. V. Dionem ad annum U. C. DCXCV. Vide etiam Asconium ad Orat. *in Toga candida* p. 145. et 148. C. Antonii causam sine fructu egit Cicero contra M. Cœlium Rufum qui (ut ait ipse Cicero in Orat. *pro ipso Cœlio* XXXI.) hunc accusaverat, Dixit in Antonium etiam Q. Maximus, ut patet ex Cicerone in hac Orat. N. 28. et ex Interprete nostro p. præcedente.

[b] Explica *populi*, vel *publica*. Vel potius transfer .P. ante Vatinium, cuius prænomen fuisse *Publium* patet ex V. ad Famil. epist. X. et ex Dione XXXVIII. 6.

[c] Cod. *non sine quadam* . . . relicto spatio, *ne Cæsarem cui*, etc.

[d] Acceptissimus Cæsari erat Vatinius, quia ei consuli tribunus favebat. Studium Vatinii in Cæsarem patet ex hac Oratione, et e Svetonio in *Cæsare* Cap. XXII.

umvir fuit, matre Iulia[a] censebatur .C. Cæsaris sorore.

Edit. N. 30. Ut in epulo .Q. Arrii familiaris mei cum toga pulla . . . .

. . . .

Reliqua desiderantur.

---

[a] Cod. *Tullia,* sed mendum. V. Plutarchum in *Antonio.*

IN

ORATIONES EDITAS TULLIANAS

CATILINARIAM QUARTAM ET PRO MARCELLO

PRO LIGARIO PRO DEIOTARO

SCHOLIA ANTIQUA INEDITA

QUÆ VIDENTUR EXCERPTA

E COMMENTARIIS DEPERDITIS

ASCONII PEDIANI.

EDITORIS MONITUM.

Præter duos Palimpsestos antiquissimos, ex quibus ego multa Inedita tum Ciceronis, tum etiam, ut arbitror, Asconii emisi; magna quædam vis Tullianorum codicum in Ambrosianis pluteis delitescit: quos ego codices tumultuario quidem opere, sed tamen omnes excussi. Atque hi, uno vel altero excepto, recentes sunt, intra videlicet XIII. *et* XVI. *sæculum exarati. Ciceronis deperdita Opera, aut lacunarum Supplementa, nisi mihi Deus aliquis mentem abstulit, nulla in his deprehendi. Horum sæpe margines plenissimi scholiorum sunt, quæ docti viri singulorum codicum domini in privatum usum elaboraverunt. Verum eiusmodi novorum hominum fœtus luce donandos non censui.*

Ab hac recentiorum Codicum, ut ita dicam, colluvie, duos excipiendos dixi. Atque, ut de primo nunc agam, is est Codex C 29. part. inf. membraneus, venerandæ prorsus post palimpsestos antiquitatis, sæculi circiter X., *in quo tres Libri* de Officiis, Catilinariæ *quatuor Orationes, tum* pro Marcello, pro Ligario, *et* pro rege Deiotaro *continentur. Et priora quidem Opera adnotationes nullæ comitantur: verum quarta* Catilinaria *et tres Orationes reliquæ habent Scholia quædam margini adlita, quorum tum scriptura textui coætanea est, tum latinitas ita pura, ut ea sæculis barbaris prorsus tribui non possit. Immo mihi stilus Asconianus videtur. Quare suspicor hæc Scholia (item ut ea quæ ad Orationem pro Scauro nuper protuli) excerpta esse e fusiore Commentario Asconii deperdito. Verum, a quocumque demum Auctore sint progenita, ea certe sunt antiqua optima inedita. Exstat utique in Editionibus antiquus quidam Interpres harum quatuor Orationum; verum is non solum diversus a nostro est, sed etiam adeo latinitate durus, et elocutione subrusticus, ut nullo pacto cum hoc præstanti et inedito conferendus sit. Scripturæ autem Codicis C 29. formam vide sis in Specimine characterum ad calcem libri.*

IN CATILINAM IV.

NON CAMPUS AUSPICIIS CONSULARIBUS CONSECRATUS. Edit. Verburgii N. 2.

Cum omnis magistratus auspicato crearentur, tum maxime consules certorum auspiciorum ritu designabantur.

NON DENIQUE HÆC SEDES HONORIS SELLA CURULIS.

Omnes magistratus, quicumque patricii essent curules[n] dicebantur, ut consul et pars patriciorum. Ædiles etiam, qui de plebeis non erant, curules. Nam alii itidem plebei erant. Sella igitur dicebatur curulis, quia carrulis[o] magistratus in curia nitebantur.

NON TIB. GRACCHUS. N. 4.

Tiberius Gracchus Tribunus plebis sediciosissimus studio repetendi tribunatum multa commisit audacter, eoque pœnas luit. Sed licet alia maiora commiserit, delegit Orator quod levius erat, ut esset quo coniuratorum spes videretur audacior.

---

[n] Cod. *camiles* manifesto mendo. Tum etiam reliqua pars huius scholii in Codice est perturbatior. Ceterum de hac re V. Gellium Lib. III. cap. XVIII. Festum, et denique Isidorum *Etymol.* Lib. XX. cap. XI. et *de Differentiis verborum,* qui sententiam Scholiastæ nostri confirmant.

[o] Cod. *carolis.*

N. 10. N 9. HOC AUCTORE ET COGNITORE HUIUSCE SENTENTIÆ.

Cognitor, idest defensor et quasi procurator et patronus eius, quam laudo sententiæ. Cognitor autem procurator erat, qui aderat præsenti.[n]

Edit. ABESSE NONNEMINEM.

Quosdam significat adsentatores coniuratorum. Erant autem Clodius, Piso, et Gabinius, qui in senatum venire noluerant, nequod in coniuratos supplicium depromere[o] cogerentur: quos scilicet adsentatores Catilinæ fuisse compertum est.[p]

---

[n] Quoniam Asconiana suspicamur hæc Scholia, conferamus cum hoc loco locum Asconii ad Divin. *in Verr.* IV. p. 20. Commentaus enim in illud Ciceronis *Cognitorem iuris sui*, hæc scribit Asconius: "Qui defendit alterum in iudicio, aut Patronus dicitur, si orator est;
"Aut Advocatus, si aut ius suggerit, aut præsentiam suam commodat amico;
"Aut Procurator, si negotium suscipit;
"Aut Cognitor si præsentis causam novit, et sic tuetur, ut suam.
"Ergo Cognitorem dixit modo, familiarissimum defensorem."
Item ad Orat. *in Verr. de præt. urb.* V. p. 72. idem Asconius in ea verba *Qui Cognitores homines* ait: "Hoc genus defensoris in iure Cognitor dicitur, maxime cum de alicuius statu agitur. Ipse (Cicero) alibi, *Cognitorem iuris sui.*"

[o] Videtur emendandum *decernere.* Nam et hic codex multis evidentibus mendis laborat.

[p] P. Clodium socium Catilinæ dicit noster Interpres ad Orat. *de ære alieno Milonis* p. 35. et Asconius ad Orat. *pro Milone* XXI. Edit. Lugd. Batav. ann. 1675. p. 201.

L. Calpurnium Pisonem et Aulum Gabinium. narrat Cicero *pro Domo sua* XXIV. alterum Catilinæ delicias, alterum Cethegi (coniurati cum Catilina) consobrinum se ipsos dixisse.

Sine dubio autem hos duos dicit hoc loco Scholiastes noster Catilinæ adsentatores, non C. Pisonem et P. Gabinium. Nam C. Piso coniuravit quidem cum Catilina, non tamen M. Tullio Cos., sed duobus ante annis L. Cotta et L. Torquato Coss. Id testatur Sallustius Bell. Catil. edit. Paris. 1674. p. 15, tum etiam Asconius ad

AT VERO CÆSAR INTELLIGIT LEGEM SEMPRONIAM.

Quia semptentiam tulerat Gracchus, ut nequis in civem romanum capitalem sententiam diceret.[a]

PRO MARCELLO.[b]

NON TIMORE ALIQUO. Edit. N. 1.

Non quo, inquit, aliquid metuerem, aut de clementia tua diffiderem, sed quod amici casum dolerem mei simul, et verecundia retinerer, quod ex Consortis mei pœna consimilia mereri iudicarer.

IN NOSTRO VETERI CURRICULO. N. 2.

Orat. *in Toga Candida* p. 151-152; sed Asconius ibi addit hunc C. Pisonem iam periisse in Hispania, quum Oratio *in Toga candida* diceretur a Tullio. Igitur non vivebat C. Piso, cum agebatur hæc Catilinaria integro ferme anno post dictam Orationem *in Toga candida.* Quod facile colligitur etiam ex Sallustio Bell. Catil. p. 16.

P. Gabinius recensetur quidem a Sallustio, et in Catilinariis a Tullio inter socios secundæ coniurationis Catilinariæ, sed is iam captus erat cum ceteris coniuratis quum Tullius hanc quartam Catilinariam diceret. V. certe Sallustium p. 36.

Ergo non Caius sed Lucius Calpurnius Piso, nec Publius sed Aulus Gabinius expectabantur in senatu: eosdemque dicunt hîc Cicero abesse studiose a Senatu, et Scholiastes noster Catilinæ adsentatores. Noto denique, Scholiastem editum, ad hunc locum, *abesse nonneminem,* male intellexisse, Q. Metellum indicari.

[a] Nempo indictâ causa: de qua lege V. Plutarchum in *C. Graccho* edit. Londin. 1723. Tom. IV. p. 386.

[b] Hanc orationem *pro Marcello* nonnulli critici homines nostræ ætatis Ciceroni suppositam dictitaverunt, quod tamen paucis, ut puto, persuaserunt. Sed ecce nunc tibi antiquissima Scholia, eaque forte Asconii, in eamdem ipsissimam orationem: quæ res Auctori suo Ciceroni hoc Scriptum vehementi argumento rursus vindicat.

Curriculum dicitur spacium per quod aguntur currus,[a] aptus scilicet cursui locus. Sed metaphorice forense quoque officium curriculum dixit, quasi locum aptum probandis atque exercendis ingeniis. Est autem hic sensus : cum in eloquentiæ, inquit, curriculo, id est in foro, imitatore uterer M. Marcello, elanguit studium honesti certaminis æmulatione sublata.[c]

Edit. N. 13. NON ILLE HOSTES INDUXIT IN CURIAM.

Cum eos, inquit, G. Cæsar qui contra se pro Pompeio arma ceperant in senatum introduxit, hostis non fuisse iudicavit. Non enim hostem iudicat *quem donat* publici communitate consilii.

N. 16. NON ENIM IAM CAUSÆ.

Quæ fuerit, inquit, in civili bello vel quibus partibus causa dimicandi prælatior, nescio. Illud scio, tuam victoriam Pompei[d] victoriæ præponendam. Tu enim in victoria clemens fuisti, qua ille cruentius uteretur.

N. 20. OPINIONE OFFICII STULTA FORTASSE, CERTE NON INPROBA.

Forte, inquit, stulta fuerit illa opinio, of-

---

[a] Cod. *cursus*.

[b] Ut pateat lucidius has Notas esse antiquas, subiiciam (ex Cod. Q. 17. part. sup. Sæc. XV.) ineptissimam aliam Notam ad hunc ipsum locum. Sic constabit quantum inter antiquiorum et sequiorum temporum scripta intersit.

" CURRICULO. Est diminutivum de curia. Ita dicitur a Cice-" rone, quod consulares, qui conveniebant, in eo loco habebant " tractare ardua. Et ideo qui illuc ibant, tanta frequentia incede-" bant, ut currere viderentur."

[c] *Pompei* pro *Pompeii*.

ficiosum se quemlibet credere, si non desereret Amicum; improba autem esse non potuit. Et vide qua moderatione temperaverit culpam, ut siquid etiam delicti habuit, non maliciæ fuerit sed erroris. Ipsam tamen stulticiam, quæ etiamsi certa sit, non habet culpam, dubiam ponit iungendo FORTASSE: purgationem vero certissimam; nam fortasse fuit stultus, certe non inprobus.

ARMA AB ALIIS POSITA. Edit. N. 31.

Quos dignos scilicet Cæsar sua clementia iudicavit. Condepnat enim propositum suum, qui voluntate arma deponit.

AB ALIIS EREPTA.

In quos scilicet Cæsar animadvertit: quibus etiam fractis et comminutis opibus inerat tamen pertinatia resistendi.

PRO LIGARIO.

AT ISTUD NE APUD EUM QUIDEM DICTATOREM. Edit. Verbur. N. 12.

Syllam[a] significat, qui tantæ crudelitatis fuit, ut in Marianæ partis viros, accusatores commoveret, ad delationem primus invitaret[b] qui perpetuus dictator non alio modo, quam hodie Cæsar est, fuit.[c]

---

[a] Cod. *Sillam.*
[b] V. Appianum Bell. civ. Lib. I. p. 681.
[c] Oratio pro Ligario habita est post bellum Cæsaris Africanum, quo tempore Cæsar iam tertiam dictaturam gerebat.

Edit. N. 21. TUBERONIS SORS.

Cum enim ageretur ab senatu quis esset mittendus in Africam ad tutandas Pompei partis, placuit rem sortito gerere. Ergo plurima in urnam coniecta sunt nomina, quæ inter Tuberonis etiam fuit, cuique proficisci in Africam sorte venit.

N. 24. IN QUA ERAT REX POTENTISSIMUS.

Iubam significat Mauritaniæ regem, qui Pompei amicissimus, Cæsari vero invisus fuit.

N. 37. SIMILEM ILLI GLORIÆ LAUDEM QUAM SÆPISSIME QUÆRERE.

Acceptam scilicet populo et amabilem rem, plausibilem omnibus diligentibus plebem.

PRO REGE DEIOTARO.

N. 2. AD ACCUSANDUM DOMINUM.

Deiotarus enim trahens[f] apud Cæsarem suspicionem, quod ob dolorem amissi regni alieno animo esset effectus, purgandi sui gratia legatos miserat Romam Hieram et Blesamium et Astigonum,[g] quibus servum suum Phidippicum medicum adiunxerat: quem a pedibus legatorum ad criminandum regem Castor Nepos idemque accusator abduxit.

---

[f] Nempe *contrahens*. Sic apud Cic. III. Philipp. cap. VI. "Cognomen ex contumelia *traxit*" nempe *contraxit*. Et Ovid. Fast. I. 596. "Ille Numantina traxit ab Urbe notam." Nempe ille (Scipio Æmilianus) splendorem a Numantia *contraxit*.

[g] Ita Cod. *Astigonum* in scholio, et inferius N. 41. *Artigonus* in textu.

ADFLICTUM ILLUM QUIBUSDAM INCOMMODIS. Edit. N. 8.
Bene minuit iniuriam regni amissionis, cuius eum Cæsar parte multaverat: quô extenuando quod passus erat, adimeret in Cæsarem iusti causam doloris, ex qua insidiæ poterant[g] oboriri.

ORNAMENTA TU IPSE PLURIMA ET MAXIMA. N. 12.
Non erat, inquit, mirandum tantum auctoritatis habuisse Pompeium, qui cum divinis præcelleret ornamentis, etiam tuis *instructus est.* Vult autem intelligi, quod eum Cæsar ob tot exempla virtutis delegerit generum. Ornamenta igitur in Pompeium conlata, Filia Cæsaris intelligenda est.[h]

QUALIS REX ATTALUS[i] IN P. AFRICANUM FUIT. N. 19.
Rex Attalus Populo romano artissima fuit societate coniunctus, usque adeo, ut eum quoque regni sui heredem fecerit. Idem igitur obpugnanti Numantiam Scipioni non tantum a quibus fulciretur belli necessitas in Hispaniam misit, verum etiam dona pretiosa: quæ sumpsit gratulans Africanus. Regis Deiotari *tantam* in Cæsarem liberalitatem, *quantam* in Africanum Attali, fuisse confirmat.

---

[g] Cod. *poterunt.* Dic, si lubet, *potuerint.*

[h] Nempe *Iulia,* quam Cæsar Gn. Pompeio collocavit. V. Suetonium in *Cæsare* cap. XXI.

[i] Ursinus in hoc loco Ciceronis mallet τῷ *Attalus* substituere *Antiochus,* cui sunt hæc a Livio (Epitom. LVII.) aliisque Scriptoribus tributa. Sed tamen et textus Codicis nostri satis antiqui, et Scholiastes confirmant lectionem *Attalus.*

Edit. N. 25. SECUTUM BELLUM EST AFRICANUM. GRAVES DE TE RUMORES.

Rumor enim repente ortus falsissimus fuit, Cæsarem in Africa circumiectu Maurorum cum omnibus copiis occidisse. Qua spe ad resuscitandas Pompei partis erectus Cæcilius[g] videbatur.

N. 26. ADMIRANDA FRUGALITAS.

Sordidus enim, laudis egenus; in rege frugalitatem esse mirandam.

SUASOR FUISSEM ARMORUM NON PONEN-
N. 29. DORUM SED ABICIENDORUM.

Integris, inquit, rebus pacem Pompeio suasi, *et* arma debere deponi. Post farsalicum[h] autem prœlium *arma abicienda*[i] non deponenda Pompeio concederem. Dicit ergo: omnium infractis et comminutis animis, solus Castor constantiam retinebat,

---

[g] Nota tam textum Codicis quam Interpretem confirmare huius loci lectionem *Cæcilius* pro falsa *Cælius*, quam merito P. Manutius expunxit. Et quidem noster Codex etiam in præcedentibus pro *Cælius* semper habet *Cæcilius*, quod idem Manutius malebat.

[h] Ita sine adspirata *ph*. et vide dicta ad Orat. in *Clodium et Curionem* p. II. n. 2.

[i] Cod. videtur habere *quartas Pompei.*

ADDITAMENTA.

In Codice ambrosiano (F. 42. part. sup.) membraneo sæculi XII. qui continet Libros tres Ciceronis de Officiis, *et, exceptis palimpsestis, est Tullianorum omnium post C. 29. antiquissimus, deprehendi ad calcem Argumentum quoddam ineditum, quod sciam, eiusdem Operis* de Officiis. *Scriptum hoc sine dubio aliqua vetustatis laude donandum est, quod ab ipsa Codicis ætate comprobatur. Veteres autem Cammentarios in* Officia *Ciceronis exstitisse Gasparinus Barzizius in Epistola ad Antonium Fantaxellum testis est. Sic enim scribit:*[a] "Rem gratissimam olim mihi fecisses, si illos veteres Commentarios in Officia Ciceronis misisses ad me."

Iam vero stilus huius Argumenti, longe abest a superiorum Scholiorum et ab Asconii elegantia: neque equidem vel probo hoc Scriptum, vel omnino edidissem, nisi mihi ad ceterorum quæ edidi Operum præstantiam evidentius demonstrandam utile esset. Hoc ergo sit in libro meo tamquam umbræ in picturis. Ceterum genus huius Scripti idem fere videtur atque eius antiqui Scholiastis, qui ad complures Tullii Orationes in Editionibus exstat. Est ergo fœtus alicuius eruditi viri ex tot, qui inclinatiore etiam ævo Ciceronem illustraverunt. Characterum huius quoque Codicis (F. 42. part. sup.) specimen habes in calce Libri.

---

[a] *Operum eius p.* 190. *Gasparinus autem Barzizius Bergomas. Grammaticus et Rhetor celeberrimus floruit ineunte sæculo XV. docuitque in multis Italiæ urbibus, et præsertim Mediolani.*

ARGUMENTUM INEDITUM OPERIS CICERONIS DE OFFICIIS.

Tullius videns romanam .r.p viciis quorumdam romanorum *pessundatam*[a] postposuit curam .r.p. et adhæsit studio philosophiæ. Sciens igitur a viciosis, quibus resistere non valebat, non posse regi civitatem, super quam maximam curam habebat, maluit tractare de huiusmodi genere philosophiæ per quod posset eos revocare a viciis quam de alio: ad quod maxime valebat tractatus de Officiis. Materia sunt officia. Modus tractandi talis est.[b] Præmittit prologum, in quo breviter dicit de quibus tractaturus est. Et in eodem reddit auditorem attentum docilem et benivolum. Facit etiam tres libros de officiis. In primo scribit de honesto, hoc est de illis officiis, in quibus maxime consideratur honestas. Tractat scilicet quatuor principales virtutes,[c] quæ sunt Prudentia, Iusticia, Fortitudo, Temperantia. Tractat etiam de officiis, quæ pertinent ad honestatem, dupliciter. Primo de honesto per se: postea de duobus honestis, quod eorum honestius. Tum pari ratione de hutili.[d] Finalis[e] causa, hutilitas

---

[a] Lacuna est in Codice vocabuli unius, quam opplevi scribens *pessundatam.*

[b] Simili locutione usus est Asconius laudatus a Quintiliano Inst. Lib. v. Cap. 10. " Argumentum *Orationis* tale est." Cave tamen tribuas Asconio Argumentum hoc Officiorum.

[c] Scribe potius *de quatuor principalibus virtutibus,* ut paulo post vides *tractat de officiis.*

[d] Sic cum *adspiratione* Codex.

[e] Donatus ad Terentium *Finalem causam* vocat controversiam status finitivi.

est. Ut intellecto quæ officia ducantur ab honesto, quæ ab hutili; et quod non sit repugnantia inter hutile et honestum; adhæreamus eidem, cavendo ab eorum contrariis. Cui particioni subponatur videndum est. Subponitur practicæ,[h] id est omnibus eius speciebus, Ethicæ, Œconomicæ. Ethicæ subponitur, quia loquitur de moribus: ethos enim græce, mos dicitur latinis. In Ethica, moralis scientia. Œconomos autem, Dispensator dicitur latinis. In Œconomica, *scientia rei* familiaris. Polis est civitas: in Politica, scientia de regimine civitatum. Iste liber autem subponitur istis speciebus philosophiæ, quia de utroque genere philosophiæ, intendit[i] hic tractare. Privata causa, quare scripsit[k] fuit M. filius eius morans Athenis in studio philosophiæ. Ipse vero a Roma dirigit ipsi hunc librum de philosophia. Publica, omnium hutilitas. Usuri hoc vocabulo, quid est officium, videamus diffinitionem. Officium est congruus actus uniuscuiusque personæ, secundum mores et[l] instituta civitatis. His visis, litteram insistamus.[m]

---

[h] Quintilianus Inst. Lib. II. Cap. 18. hanc vocem scribit græce *πρακτική*.

[i] *Intendere* pro *velle* non est inusitatum apud optimos latinos auctores.

[k] Cod. *in eep* ″

[l] Cod. corrupte *re* pro *et*

[m] Hinc videtur Auctor huius Argumenti progredi ad commentandum in Opus ipsum *de Officiis*: sed nullus Commentarius est in Codice.

NOBILIS NOTA

AD ORATIONEM SECUNDAM DE LEGE AGRARIA.[h]

In exemplari vetustissimo hoc erat in margine:

EMENDAVI AD TYRONEM ET LÆCANIANUM.[i] ACTA IPSO CICERONE ET ANTONIO COS. ORATIO XXIIII.

In *alio* exemplari:

STATILIUS MAXIMUS[k] RURSUS EMENDAVI AD TYRONEM ET LECANIANUM[l] ET DOM̄. ET ALIOS VETERES. III. ORATIO EXIMIA.

---

[h] Hanc notam erui e duobus Codicibus C. 236. part. inf. C. 96. part. sup. sæculi utroque decimi quinti. Apparet autem eam esse exscriptam ab exemplaribus vetustissimis nescio cuius amanuensis, qui viderat exemplaria ipsa Tyronis Læcaniani, Statilii, Dom̄. et aliorum Veterum.

[i] Alius Codex hîc et infra *Letanianum.*

[k] Statilii Maximi Opera quædam memorat Charisius, inter quæ *De singularibus apud Ciceronem.*

[l] Ita sine dipthongo, contra ac superius.

INDEX

VERBORUM ET RERUM NOTABILIORUM

IN FRAGMENTIS CICERONIS

ET IN COMMENTARIO.

PAGE

Emendanda in Editione præsenti Fragmentorum Ciceronis cum Commentario.

	Errata.	*Corrige.*
p. 10. *n.* 4. *v.* 7.	" addit." Atqui hæc, inquam de	addit." Atqui hæc, inquam, de
p. 22. *n.* 1. *v.* 2.	in iudicio, ita est, dixit	in iudicio: ita est, dixit
p. 92. *n.* 6. *v.* 4.	Pison,	*Pison.*
p. 46. *n.* 5. *v.* 1.	Puto hæc verba Asconii potius	Puto hæc verba Interpretis potius. *Et quidem verba hac iam mihi videntur potius Ciceronis quam Interpretis.*

TABULÆ ADIUNCTÆ EXPLICATIO.

I. Specimen paginæ semel scriptæ.

II. Specimen palimpsesti.

III. Litteræ Codicis, ex quo sunt editæ Partes Orationum Ciceronis *pro Scauro, pro Tullio*, et *pro Flacco*.

IV. Litteræ Codicis, ex quo sunt edita Fragmenta Ciceronis cum Commentario.

V. Specimen Codicis, ex quo sunt edita Scholia ad Oratt. Ciceronis *in Catilinam, pro Marcello, pro Ligario, pro Rege Deiotaro*.

VI. Specimen Codicis, ex quo est editum Argumentum Librorum Ciceronis *de Officiis*.

Excudebat J. F. Dove.

…ionis

I. NECESS…
UITCR…
MEDIO…
PROFUI…
CONSU…
NIUM…
INSECO…
FIDENS…
TUMPO…
UERE

III. A B … S T U X

IV. A B … T U X

V. IN LUT… LIBRI De officiis
n̄ capur esula… m r. p. uicissquozda romanoz

PRO PLANCIO

I. NECESSARIOTEMPERA
UITGRATIAMSUAMNŌ
MEDIOCRITERPLANCIO
PROFUISSEQUANDOUIR
CONSULARISTESTIMO
NIUMBENEFICIORUM
INSECONLATORUMPER
FIDENSCANDIDATOMUL
TUMPOTUERATPROMO
UERE

DE AERE ALIENO MILONIS

II. lcor. lucianum ⁊c
qrancionemetro
onisgratiareun
direximusuero
mouerepoenam
etcontemtoress
adillumuenietmodum
sentsanctaetmagna
picionemadueni
tionemexomnipart

III. A B C D E F G K I L M N O P Q R S T U X

IV. A B C D E F G H I L M N O P Q R S T U X

V. IN LUTIUM CATILINAM

ñcāpuſ ēſularib; auſpicuſ ēſecratuſ.

cūenimomſmagiſtratꝰ
auſpicatocrearent
tumaxime ēſuleſ
certeoꝝ auſpicioꝝ
ritudeſignabantur

VI. T. C. TRES LIBRI DE OFFICIIS

T ulluſ uidenſ romanam r. p. uiciſſquoꝝdā romanoꝝ

LECTORI S.

Quum hujus libelli plagulæ inter imprimendum mihi in manus traderentur, quas oculis percurrerem, in eisque pauca quædam animadverterem quæ Maii diligentiam elusissent, visum est ista, qualiacumque demum sint, in unum conjecta, oculis tibi proponere. Vale, et hæc nostra æqui bonique consulas.

C. J. B.

Dissert. p. XIV. 21. *Equidem* minus recte adhibetur cum tertia persona. Mox *Scaurana* melius diceretur quam *Scauriana.*

Pro Scauro, p. 10. not. *c.* ex *Arusiano Messo.* Imo ex Frontone: vide Frontonis editionem a Maio nuperrime adornatam T. ii. p. 508.

P. 17. I. *Em* mutandum videtur in *en.*

Ibid. 10. *Famata.* Corrige *infamata.*

Pro Tullio. p. 24. vers. fin. *non vereor ne dicendo dies eximatur.* Ep. ad Qu. Fratr. II. 1. *Clodius rogatus, diem dicendo eximere cœpit.* Cf. Liv. I. 50.

Ibid. 12. *re sit.* Scribendum videtur, *restat.*

P. 18. antepen. Dixit, ut opinor, Tullius, *terrere coneris,* ut vitaretur homoeoteleuton.

In *Prævia Operi Dissert.* p. XXX. *tam ex audito, quam ex lecto Pediano.* Calami lapsus. Corrige, *tam ex lecto quam ex audito.*

In P. Clodium. p. 14. *Ut ille judicio,* &c. Diverse laudatur apud Quintil. IX. 2. *Quo ex judicio, velut ex* incendio *nudus effugit.* Juvenalis III. 211. Codrum ex *incendio* elapsum sistit, *nudum et frusta rogantem.* Sed verum est *naufragio.* Quintilianus memoriter citat.

P. 16. *Qui omnia,* &c. Plenius exstat fragmentum apud Quintil. IX. 2. *Quibus iste, qui omnia sacrificia nosset, facile a se deos placari posse arbitrabatur.*

P. 21, 5. *linimenta,* male pro *lineamenta.*

De ære Alieno Milonis, p. 34, 11. *generalitatem.* Vocabulum parum Latinum, quod a lexicis abest. Uti tamen eo potuerit grammaticus; vid. Noltenii Lex. Antibarb. I. p. 547.

Ibid. 6. Non animadvertit doctissimus Maius hanc Tullii particulam aliquanto auctiorem exstare apud Non. Marcell. XIV. p. 787. ed. Gothofred. "*Calantica* est tegmen muliebre, quod capiti innectitur. M. Tullius in Clodium. —*Túne, cum vincirentur pedes fasciis, cum calantica capiti accommodares—cum strophio accurate præcingerere.*"

Ibid. 14. *Otii, dignitatis, fidei.* Hæ voces ex ipsa Ciceronis oratione sunt, quod mirum est editorem non animadvertisse.

Ibid. Qui Populi R. imperium non terrarum regionibus, sed coeli partibus terminarit, Herodot. VII. 8. εἰ τούτους τε καὶ τοὺς τούτοισι πλησιοχώρους καταστρεψόμεθα—γῆν τὴν Περσίδα ἀποδέξομεν τῷ Διὸς αἰθέρι ὁμουρέουσαν.

P. 22. *Sed credo,* &c. Hanc etiam particulam laudat Nonius vv. *Longus. Speculum.* sed ordine paululum immutato, *post quam tibi speculum.*

Pro Archia. 53, penult. *sexagensimum,* quæ scriptura vetustior est quam altera sine N. *sexagesimum.* Sic in monumento Ancyrano, *duodevicensimum,* item *viciens, sexiens, quinquiens,* &c. pro *vicies, sexies, quinquies.*

P. 60, 2. *auctorem,* male pro *actorem.*

P. 63, not. e. Multi Ciceronis MSS. habent *hortavi,* quæ corruptio unde provenerit hodie satis patet.

P. 68, 4. *et fila,* &c. Sic editio Mediol. Legendum, *et fit a M. Tullio—discretio.*

Ibid. penult. conititur. sic infra, p. 94. Sed geminanda est litera N.

P. 70. 10. *defloratum. Defloro* ab auctoribus ævi Asconiani non usurpatur; qui semper dicunt *præfloro,* præter quam in quibusdam pejoris notæ codicibus. Vid. J. F. Gronov. ad Liv. XXXVII. 59.

P. 71, 2. Sic. ed. Mediol. *sanserunt;* errore forsan operarum; nam recte legitur *sanxisse,* p. 111.

P. 74, 6. Nota *inrisoribus*, sequioris ævi vocabulum.

Ibid. 9. *Popilius* ed. Mediol. et mox *Demarthi Corinthi* pro *Demarati Corinthii.*

P. 75, 18. *Quos in,* &c. Ed. Mediol. exhibet *Quo sin,* quod correxi.

P. 76, 16. *plurimis demeritis erga remp. tribuens.* Forsan legendum *plurimis idem meritis.* Barbarum certe est illud *demeritis.*

Ibid. not. f. Imo vero res plane aliter se habet: nam formula *haud scio an,* qua utitur C. Gracchus, modeste affirmat. Vid. Noltenii Lex. Antibarb. p. 1460. Nempe hoc dicit Gracchus; *a vobis forsan lubentibus impetrassem.* Quare negationis particula a loco Tulliano sine dispendio abesse nequit.

P. 77, 11. *ne a stirpe genus nostrum interiret.* Sallust B. C. 3. *Carthago æmula imperii Romani, a stirpe interiit.* Æschylus Sept. Theb. 1060. *αἶτ' Οἰδιπόδου Γένος ὠλέσατε πρέμνοθεν οὕτως.* Herodotus VI. 86. de Glauci familia; *ἐκτέτριπται πρόῤῥιζος ἐκ Σπάρτης.* Virgil. Æn. XI. 394. *Evandri tota cum stirpe videbit Procubuisse domum.* *Vid. Valckenær. ad Eurip. Hippol.* 683.

P. 78, 3. *Figura.* Nullus dubito quin potius supplenda sit vox Græca. Librarii Latini, quum clausulam Græcis litteris scriptam offenderant, spatium relinquere solebant. Insigne exemplum occurrit infra p. 106. In hoc loco probabiliter rescripseris *πρόληψις.* Vid. Rutil. Lup. de Figur. p. 83. ed Ruhnken.

P. 81, 8. Apage ignorabile istud adverbium *vincenter,* et repone *vigilanter.* Vid. infra pp. 83, 20, 93, 18. 102, 5.

P. 82, 9. *Efferre.* Sic ed. Mediol. Sed legendum *offerre.*

P. 83, 19. *Strumentum fidei.* Locutio barbara, qua Asconius saltem uti non potuit. An legendum *instrumentum,* seu potius, *et quæ instrumenta fidei necessaria sunt.*

P. 91, 4. Nihil dubium quin pro verbo incertæ fidei *perfidens* reponendum sit *perhibens*, Vid. Forcellini in voce. *Testimonium* vero non est mutandum.

P. 96, 2. Nota recentiorem usum τοῦ *exertius*.

P. 98, 23. *Plancii*. Legendum *Planci*, hic et infra.

P. 99, ult. *editicios*. Grammaticorum sententia est, in hujusmodi vocabulis, quæ a nominibus derivantur, *cius* scribendum esse; in aliis vero *tius*. Quare hic etiam scribendum foret *edititios*, nisi ab *editio* derivatum censeatur. Sed hæc regula est valde incerta. Legimus enim in monumento Ancyrano, quod est ævi Augustani, *tribunitiæ*, et *patritiorum*.

P. 103, 11. Spatium in codice relictum Græca voce replendum suspicor. Forsan scribi debet *non sine figura* εἰρωνείᾳ.

P. 105, 1. Ed. Mediol. *compenlativum*.

Ibid. 9. Nullo jure, ut opinor, *paria* pro *patria* scribendum putat Maius.

P. 107. Not. *g*. Pronunciabant quidem veteres unam I pro duabus, et dicebant *Isdem, ís,* pro *iisdem, iis*, sed hujusmodi contractiones interdum per literam majusculam in scribendo designare solebant; e. g. in monumento Ancyrano occurit CONSILIS pro *consiliis*. MUNICIPIS, STIPENDIS. Terent. Eun. III. IV. I. *Heri aliquot adulescentuli coimus in Piræo*, ubi Bentleius rescribi vult *coiimus*, citra necessitatem. In isto autem versu etiamsi vulgatum ordinem verborum servat Cicero Attic. VII. 3. scripsit tamen, ut opinor, Terentius, *Heri aliquot adulescentuli in Piraeeo coimus*. Vix enim a Terentio corripi potuit prima in *Piraeo* in ista versus sede. Cicero autem ad hunc ipsum versum provocans *Piraeeum* quadrisyllabum citat.

P. 113, 9. *cervicem*. Si hic locus sanus est, dormitavit certe Asconius, vel siquis alius fuit qui hæc scripsit; nam

candidatos non vestes tantum sed et cervicem creta oblevisse, ecquis tandem credat?

P. 133, 12. Sic ed. Mediol. operarum forte incuria. Scripserat librarius, saltem scribere voluit, *condempnat.* nota recentiorem hujus codicis orthographiam.

CORRIGENDA.

Pro Scauro........p.	9, 6.	*Fratem*	*Fratrem.*
————........	17, 6.	*vivorum*....	*virorum.*
Pro Flacco........	33, 15.	*defendunt* ..	*defendant.*
Dissertatio	v. not.	*del atina*...	*de latina.*
Editoris monitum ..	3,	ὁμτρικῶς ...	Ὁμηρικῶς.
De Rege Alexandr..	49, 5.	*quadem*.....	*quadam.*
Pro Archia........	62, 6.	*quindam*....	*quiddam.*

